

Posita autem facultate revocandi, intrabat implicita revocatio resultans ex iniunctis, & subsequuta thori separatione ad text. in l. cum hic status §. si divorcium ff. de donat. inter vir. & uxor. & post antiquiores ab eis relatos Menoch. lib. 3. presumpt. 37. nu. 17. Sanch. de matrim. lib. 6. disp. 1. §. nu. 10. & 14. ubi nu. 15. in fine ex Lopez advertit id procedere, quamvis iniunctio ex facto, seu culpa ipsius viri prodierit, quoniam ad regulandum animum, spectatur effectus inde sequens, non autem causa productiva, ac etiam ob sequutam donationem alteri factam pleno iure, cum expressa declaratione animi, eatenus obligandi donatarium, quatenus obsequeretur reconciliatio.

Neque agitare dicebam, quod dicta promissio facta esset ex causa augmenti dotis, quoniam cum dos, nomen, ac effectum recipiat a matrimonio, sine quo non datur, ut in sua materia sub tit. de dose, Hinc proinde promissio dotis in tempore soluti matrimonii, invalida est, ad text. in l. Julia ff. de iur. dot. cum concordant. collectis per Cyriac. d. contr. 88. nu. 2.

Reflectendo autem ad veritatem, magnam sententiam difficultatem contra donatarium requirentem meam operam, ideoque pro stylo (Dei gratia nunquam violata, multum quidem ac assidue peccando in intellectu in hoc munere, nunquam vero in voluntate) id liber infirma vi, consulendo, ut curare eo meliori quo posset modo, se concordare, an credo sequatur esse.

Dubitandi autem ratio in eo residebat, quod ageretur de conventionem corref pectiva matrimonium, ac dotis constitutionem, quae propter dicitur pars contractus matrimonialis, ac dotis, eisque augmentum potius quam donatio, iuxta distinctionem, quae inter augmentum voluntarium constante matrimonio, ac istud in ipso actu contrahendi habetur sub tit. de dose disc. 165. & pluries supra hoc eodem titulo; Unde propter perfectam mulieris ius ab initio coactum fuit, abique necessitate recurrendi ad questionem examinatam in Albanen. dotis coram Merlino, inter suas decif. 80. & repet. post Zach. de oblig. Cameral. decif. 245. pluries in precedentibus infirmatam, & in qua pro consuetudine moderno pragmatico stylo, unice se fundabant scribentes pro dicta muliere, cum vere non essent in terminis purae donationis.

Neque ob stare videbatur conclusio proximè infirmata de invalida constitutione dotis post dissolutum matrimonium, quoniam id procedit, quando substantia donationis in dictum tempus confertur, adeo ut interim mulier indotata esse debeat, secus autem ubi constituitur augmentum effectum fortiterum potius mortem viri pro pinguiori mulieris provisione; Vel pro aliis nuptiis digne contrahendis; Vel ut in statu viduitatis congruentius pro ipsius defuncti viri memoria se subsistere valeat, iuxta ea, quae in hoc proposito habentur sub tit. de dose disc. 27. Ideo enim effectus huius augmenti post mortem viri differtur, quia illud est tempus, in quo mulier hac provisione indiget, cum ipso viro vivente, utpote ab eo provisiva, hoc non indigeat, ut disc. disc. 27. de dose.

Hinc proinde advertebam, non subsistere primum fundamentum, quod hae dicitur potest donatio causa mortis, cuius substantia in tempore mortis collata esset, dum verè isti termini non intrabant, Minuque alii, de quibus agunt Sanchez, & alii Hispani, per eum relati, agentes de conventionibus reciprocis, ubi usitatis per quamdam speciem hereditamenti, ac iuxta terminos, de quibus in secundo fundamento pacti per successorem ad materiam text. in l. pactum quod dotali c. de pact.

Et nihilominus in his terminis advertebam, quod aliqua difficultas caderet, ubi ageretur, de quota haereditatis, in quibus terminis loquuntur dictae decisiones, de quarum etiam substantia nimum dubitari potest, ex deductis sub tit. de renunc. sub altera de haereditate, & sub tit. de fi. decif. disc. 147. Sed ubi agitur de certa, tunc nulla cadit disputatio, ut locis citatis, Et hic erat casus, dum agebatur de usufructu, qui rem certam sine dubio importat.

ANNOT. AD DISC. XXXVII. & seqq.

Quando donatio dicitur inter vivos, vel causa mortis, & quomodo ab altera distinguitur, videantur deducta in hoc tit. disc. 68. ubi in specie tangitur articulus de quo in praesent. dec. 37. an scilicet donatio facta periculum ad bellum, censenda sit inter vivos, vel causa mortis.

Et iuxta praemissa in isto casu decisum fuit postea per Rot. contra donatarium, ut patet ex dec. 166. & 289. par. 14. recent.

Mentio autem mortis quando respicere dicatur substantiam, vel potius executionem dispositionis notatum fuit supra dec. 8. & 9.

ROMANA DONATIONIS DE VIDMAN PRO HAEREDIBUS COMITIS VIDMAN. CUM FRANCISCO TOPHANO.

Responsum pro veritate.

An donatio inita sub commemoratione mortis, praesertim per militem, seu accessurum ad bellum, dicitur inter vivos, vel causa mortis, & quomodo una ab altera distinguitur.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Regulariter mentio mortis facit donationem causa mortis.
- 3 Et an aliud requisitum desideretur.
- 4 Quando mors dicitur percute substantiam, vel executionem.
- 5 Expenduntur conjecturae pro donatione inter vivos quodque mori sit pro dilatione, seu executione, & primo, ubi est donatio ob meritum, quod declaratur.
- 6 Altera conjectura ex clausula omni modo meliori.
- 7 Quid de illa omisi numeri quinque testium.
- 8 Et quid de irrevocabilitate.
- 9 Quae circumstantiae requiruntur, ut donatio facta sub mentione mortis transeat in donatione inter vivos.
- 10 Privilegia militaria circa ultimas voluntates quando procedant.
- 11 De Statuto Ferrariae, circa donationes.
- 12 Infirmitas non requiritur in donatione annuae praestationis ad vitam.
- 13 In conjecturalibus, & arbitrariis certum iudicium dari non potest.

D I S C. XXXVIII.

COMES DAVID VIDMAN, cum Ferrariae moraretur militando pro servitio Sedis Apostolicae, in bello, quod hae sublinebat cum aliquibus finitimis Principibus, de anno 1643. per apocam privatam voluit, ac disposuit, obligatos esse debere ejus haeredes ad praestandum Francisco Tophano ejus vita durante annua scuta 200. monetarum, declarando illam esse ejus ultimam voluntatem irrevocabilem; Unde sequuta morte dicti Comitis de anno 1659. condito testamento, in quod scriptis haereditibus nepotibus ex fratre, declarata fuit revocare quascumque praecedentes dispositiones revocabiles, orta est controversia cum dicto Tophano vivente, an dicta donatio esset revocabilis, necne, ut proinde sub dicta generali revocatione aderet, atque pro veritate ex parte dd. Haereditum consensus, priusquam lis assumeretur, respondi ut sequitur.

Regula est, quod ubi in donatione fit mentio mortis, illa censetur potius causa mortis, quam inter vivos iuxta text. litteralem in l. seia ff. de dose praedicta glo. in l. quae dotis ff. solut. matrim. ubi communiter scribentes, de quibus Barbof. ibidem n. 94. Clar. §. donatio q. 4. n. 4. Craff. de success. §. donatio causa mortis q. 10. n. 2. Mantic. de conjec. lib. 1. tit. 1. n. 4. Menoch. lib. 3. presumpt. 35. n. 1. Fontanell. de pact. claus. 4. glo. 3. nu. 1. Franch. dec. 4. 16. nu. 2. Burat. dec. 581. nu. 1. & ceteri communiter.

Et licet aliqui, non simpliciter mortis mentione contententur, sed etiam desiderant, ut in illius tempore donatio collata sit, ut per Clar. d. q. 4. in fine, cum quo petraferunt Mantic. & Menoch. locis citatis, quod acriter impugnat Barbof. ubi supra; Artamen quidquid fit de hoc articulo, opus non erit ejus disputationem assumere, dum quae sit cessabit ex facto, in quo utrumque concurreret, mentio scilicet mortis, atque in illa donatio collata erat, dirigendo obligationem ad haeredes, & fortius dum facta erat donatio pro militem actu militantem, quando mortis cogitatio magis proximè habetur, ut in Eugubina hoc tit. in supplemento.

Quaestio enim est inter DD. an simplex mentio mortis sufficiat ad faciendam talem donationem, vel etiam requiratur illius cogitatio, quae fit ipsius donationis causa, vel occasio, quia neque donans esse infirmus, five iturus ad bellum, vel ultra mare, quando id est incertum, ut hinc inde bene agit Franch. d. dec. 436. n. 2. & 3. unde quidquid esset de unius, vel alterius opinionis veritate, de quo in d. Eugubina cessat.

cessabat omnis quaestio ex dicta circumstantia, quod donatio facta est occasione belli actualis.

Verum quia regula haec procedit, ubi substantia donationis collata est in tempore mortis, secus autem, ubi mors gratia dilationis seu executionis adiecta est iuxta communem omnium distinctionem; Hinc proinde nodosa quaestio intrat in proposito super hac facti circumstantia iudicanda, quando scilicet mors dicitur, substantiam, vel simplicem dilationem percute, illa vero communi omnium voto deciditur ex conjecturis, ac praesumptionibus, quibus cessantibus potius substantiam percute dicitur, ut plene Barb. in d. l. quae dotis num. 109. cum seq. Mantic. & Menoch. loc. cit. Magon. decif. Luens. 87. num. 2. Galeot. lib. 2. contr. 11. num. 4. & seq. Franch. ubi supra & ceteri, itaut quaestio sit potius facti, & voluntatis, quam juris, an scilicet tales concurrant conjecturae quae mortis mentionem ad solam dilationem trahant, ideoque donationem inter vivos potius suadeat quam causa mortis.

Plures autem conjecturae concurrere videbantur pro donatione inter vivos; Quarum prima resultat ex eo, quod narratur merita obligatoria, ut in specie post alios firmant Magon. dec. Luens. 84. num. 4. cum duob. seq. Menoch. lib. 3. presumpt. 35. n. 13. Mantic. de conjec. d. lib. 1. tit. 1. n. 14. Verum valde levis est ista conjectura, quoniam etiam donationes causa mortis propter gratitudinem, & ex motivo alicujus antidotalis obligationis fieri solent, ut bene observat Mant. loca supra cit. Maxime quia merita non sunt deducta ad aliquam speciem, sed per verba nimis vaga, & generalia expressa fuerunt, ut distingendo inter merita deducta ad speciem, quamvis non probata, & illa sic generaliter enunciata, late firmantur in Sarsinaten. feudis coram Duno-zetto, dec. 748. & 760. ubi concordantur, ideoque ista conjectura, vel nullius, vel satis levis ponderis esse videtur.

Secunda conjectura deduci poterat ex illis verbis, nella piu ampia forma, che mai possa, quasi quod importent clausulam, omni modo meliori, per quam donatio interpretatur potius inter vivos, quam causa mortis, ut dec. 366. n. 11. cum seq. par. 1. divers. Menoch. d. presumpt. 35. nu. 14. Verum ista etiam conjectura non multiplicanda videbatur, quoniam verba obligatoria non erant directa in ipsum donatorem, sed in ejus haeredes, qui pariformiter tam ex donatione inter vivos, quam ex illa causa mortis obligati remanent; Qui-nimmo praesupposita morte donatoris, magis expedire videtur donatario ut sit donatio causa mortis, quoniam ita tutus redditur ad quacumque nullitate, quae ex defectu infirmationis, vel solemnitatum praetendi possit, atque, utcumque sit, negari non potest esse conjecturam valde aequivocam.

Tertia oriebatur conjectura ex omisso interventu quinque testium in donationibus causa mortis adhibendorum, quia, ne dicitur donatorem facere voluisse actum profluum, inutilem, intelligitur facta inter vivos, Mantic. d. tit. 1. n. 25. Menoch. d. presumpt. 35. n. 5. Cyriac. contr. 314. n. 14. Rot. decif. 9. n. 15. & seqq. par. 7. rec. alias apud Merlin. decif. 664.

Ita conjectura est alicujus ponderis, ubi concurrunt aliae jam considerabiles conjecturae, quam verba, aliaque circumstantiae, ex quibus probabiliter deduci valeat, ut potius inter vivos, quam causa mortis disponens donare voluerit, alias enim si verba, vel potentiores conjecturae contrarium suadeant, illa remanet nullius ponderis, quoniam de vento essent leges praeribentes numerum quinque testium sub poena nullitatis actus, si tali numero deficiente, ille resolvendus esset in donationem inter vivos, ut bene observat Barbof. d. l. quae dotis n. 107. ex Angel. conf. 254. cui ceteri subscribunt, ideoque id praebet aliquod adminiculum, quod in casu fati dubio junctum cum aliis videtur alicujus operationis, sed per se non videtur multum considerabile, maxime quia neque duos testes in donationibus inter vivos adhiberi solitos donator adhibuit; Ac etiam quia licet existens in Civitate tanquam accinctus ad quotidianum belli conflictum credere potuit, quod more militari absque testium interventu etiam per ultimam voluntatem disponere posset ad text. in l. Marcellus ff. de mortis causa donat. licet sit falsa opinatio, ut disc. 28. de testam.

Quarta accedit omnibus aliis fortior conjectura, (& quae meo iudicio majorem in hoc negotio inferebat difficultatem) resultans ab irrevocabilitate dispositionis in illis verbis, Che questa è la mia ultima volontà irrevocabile; Cum enim irrevocabilitas repugnet naturae, ac substantiae donationis causa mortis, ita dicitur transire in donationem inter vivos iuxta text. expressum in l. ubi ista donatus ff. de donat. caus. mortis, per quem post antiquiores ita plene firmant

Menoch. d. presumpt. 35. nu. 21. cum seqq. Rota d. d. 9. n. 9. cum seq. p. 7. rec. alias dec. 664. apud Merlin.

Super ista limitatione, ac intellectu dicti text. in l. ubi ista donatur, satis certant Doctores, ut est praesertim videre apud Barbof. loco citato, qui ex profecto materiam discutit; Alii enim distinguunt inter promissionem de non revocando adiectam in dispositivis, vel exequutivis, quasi quod primo casu operetur transitum ad diversam naturam, secus autem in secundo; Verum in casu, de quo agitur non videbatur super hac distinctione immorandum ob defectum applicationis, dum apocae non continet hujusmodi diversas partes; Alii verò credunt tunc demum irrevocabilitatem operari, quando incerta est donantis voluntas, an uno, vel alio modo donare voluerit, secus autem, ubi, vel ex verbis expressis vel ex aliis circumstantiis certa reddatur voluntas donandi causa mortis, quoniam tunc pactum de non revocando tanquam naturae actus contrarium, remanet potius vitiatum ex ratione text. in l. cum precario ff. de precario, quod doctè, ac omnium plenius discitur Barbof. ubi supra n. 120. cum seqq. ubi num. 119. ponderat etiam aliam distinctionem tradi solitam, an scilicet promissio hujusmodi concepta fit per verba universalis, vel potius simplicis & indefinita.

Longum vero esse dicebam veritatem opinionum examinare, praesertim, quia aliorum negotiorum urgentia non concedebat; Verum in casu, de quo agitur, mihi videbatur hujusmodi conjecturam non esse considerabilem; Tum quia ex claris demonstrationibus initio deductis constare videbatur donantem aliud gerere noluisset nisi dispositionem causa mortis, dum se non obligavit, sed direxit dispositionem in haeredes; ac expressè illam vocavit ultimam voluntatem, neque concurrerant illae aliae circumstantiae, quae apud allegatos infirmul ponderati solent, praesertim apud Merlin. d. dec. 664. alias p. 7. rec.

Tum fortius, quia omnes, qui ex hujusmodi promissione deducunt transitum ad contractum inter vivos, loquuntur in terminis pacti (seu alterius conventionis habentis naturam contractus gesti donatario praesente), vel saltem Notario pro eo stipulante, & acceptante, five ad minus accedente juramento, per quod iuxta unam opinionem Deo stipulari dicitur; Haec autem omnia cessabant in casu, de quo agitur quoniam irrevocabilitas non adest, nec per viam pacti, nec per viam promissionis, seu alterius conventionis, sed simpliciter enunciativè adiecta ultimè voluntatis; Et quod magis erat donatario absente, ac nemine pro eo stipulante, unde videbatur verè & proprie esse in casu legati, seu alterius ultimae voluntatis factae cum expressione irrevocabilitatis, nullatenus attendendae, ut apud omnes proximè allegatos, atque in defensione causae magis distinctè deduci posse advertebam. Et bene verum, quod cum agatur de materia conjecturali, certum ac omnino tutum iudicium dari non potest, cum ob intellectus varietatem, in conjecturalibus quotidie decisiones diversimodè emanare soleant; In hac etenim conjecturali materia redè intrat vulgare dictum, quot capita, tot sententiae &c.

Posita donatione causa mortis, de plano resultat ejus substantia, Tum ex defectu numeri testium, nil obstante privilegio militari, quod solum procedit, dum miles sit in Castris, & in acie belli ex plenè deductis per Merlin. d. 862. & in Romana testamenti 22. Martii 1656. coram Cerro d. c. 150. par. 12. rec. de qua d. disc. 28. de testam. ideoque non habent locum in gestis in Civitate, Tum etiam quia per subsequens testamentum potuit revocari.

Sed quando dicitur potest donatio inter vivos, adhuc ejus infirmitatem probabiliter praetendi posse dicebam ob non servatam formam Statuti Civitatis Ferrariae, ubi donatio facta fuit lib. 12. tit. 70. & ultimo de donationibus &c. ubi clarè disposuit, quod donatarius teneatur infra tres dies infirmare donationem excedentem valorem centum librarum, sub poena omnimodè nullitatis, de quo Statuto loquitur in specie Riminald. jun. conf. 811. nu. 30. cum seq. & per tot. Est bene verum, quod loquitur de donatione facta donatario praesenti, unde excusabilis quod tamen tempore videatur Statutus subjectus, unde intrare videtur dilemma; Aut donatarius scivit, & acceptavit, & intrat Statutum, quia in termino praefixo denunciationem non fecit; Aut ignoravit, & redè potuit revocari.

Et licet motivari posset, quod Statutum Ferrariae non liget donantem, & donatarium tanquam forenses, replicabam tamen, quod cum agatur de forma, seu solemnitate requisita in contractu, qui celebratur in loco, attendendus est locus celebrati contractus, quamvis inter forenses Rot. d. c. 35. n. 25.

num. 25. par. 3. nec. cum aliis sub tit. de contractibus & sub tit. de dote disc. 143.

Super defectu autem infirmationis requisitæ de jure communi dixi non posse fundamentum, cum agatur de donatione annuæ præstationis juxta text. expressum in l. sanctimus C. de donat. Nil obstante limitatione, ut non procedat, quoties fit mentio hæredum, quoniam procedit, ubi agatur de hæredibus donatarii, per quam donatio non remanet vitalicia, sed efficitur perpetua, secus autem ubi mentio fit solum de hæredibus donatoris, quia sufficit donationem terminare cum vita donatarii ex deductis per Grat. dist. 355.

Et his igitur dixi substantialem videri dictæ donationis infirmitatem; Verum quia materia est conjecturalis, & consequenter iudici arbitraria dixi hinc proinde omnino certum, ac maturum iudicium desuper efformari non posse super causæ exitu, ac propterea, quando honeste concordia occasio se offerret illam laudavi.

Edito hoc responso forsitan expetito occasione tractatus concordia, qui desuper habebatur, relictum est quod illo effectum non sortiente litigatum fuerit, incertum vero remanet, quem finem causa haberit, cum ego à neutra Partium ad scribendum requisitus fuero, iuxta frequentiore effectum, quem producere solent huiusmodi Responso pro veritate, ut plurimum studiosè petita ab his, qui jam proprios defensores habentes, ita cum hoc artificio student privare colligantem illis defensoribus, quos timent.

S P O L E T A N A D O N A T I O N I S  
P R O A L E X A N D R O A N G E L U C C I O  
C U M N.

Causa disputata coram A. C. pro  
Alexandro resoluta.

De donatione causa mortis facta per filium familias de consensu patris ad favorem ejusdem, an sustineatur, ita ut patris sibi ipsi auctoritari poterit.

S U M M A R I U M.

- 1 Falsi series.
- 2 In donationibus, & actibus inter vivos gestis per filium familias, an presentia & consensus sit pro interesse, vel solemnitate.
- 3 Quid in donatione causa mortis, an possit pater sibi consensum præstare.
- 4 De differentia inter jus antiquum, & novum circa pecunia, & bona filiorum familias.
- 5 Enumerantur doctrinae, ut consensus sit pro interesse.
- 6 An sit considerabilis frons viri in donatione facta per filium familias de consensu patris.

D I S C. XXXIX.

Moriens Alexandri filia, quam plura bona adventitia ex successione matris, aliorumque conjunctorum possidens, cum consensu patris, de doctis bonis, per viam donationis causa mortis disposuit ad favorem unice filie superstitis, cui morienti substituit eundem patrem, quod ægre ferens ejus vir, cui alias in casu invalidæ donationis, ob intestatam dictæ filie superstitis jam defunctæ successione bona debita essent, iudicium instituit contra dictum Alexandrum super dictæ dispositionis invaliditate, assumptaque desuper dispositionem coram A. C. cum de jure non dubitaretur, filium familias licet testari prohibent, posse tamen de consensu, ac auctoritate patris donare causa mortis, hinc restricta fuit difficultas ad punctum, an pater possit in hoc sibi auctoritari, quod pendet ab alio puncto, an paternus consensus ad lege requiratur ad integrandam personam filii, & sic pro solemnitate, vel potius pro solo ejusdem patris interesse.

Ita quæstio, cum adolefens addicerem praxim Sacri Concilii aliorumque Tribunalium Neapolis, celeberrima in ea Civitate, occasione interpretandi Regiam pragmaticam primam ad S. C. Macedon. atq; super laboribus pro utraque opinione per plures Advocatos, & prædicantes editis Merlinus composuit penultimam, & finalem controversas lib. 2. ubi de hoc principaliter agit in ordine ad actus inter vivos, in quibus de jure communi filius familias non est inhabilitatus, idcirco probabiliter opinio est, ut leges municipales patris consensum desiderantes percutiant solum istius interesse, istam; opinionem sequitur etiam Rota, & Curia Romana; Et qua tenus etiam esset pro quadam specie

habilitationis, atque ad consulendum fraudibus, quibus filii familias subjacent, aliique rationibus à S. C. Macedon. consideratis adhuc tamen receptum est, ut prohibent non sit consensum præstari ad beneficium, vel in causam ipsius patris, vel quod procedere, aut subsequi valeat, ut etiam habetur sæpius sub tit. de alienat. & contractibus, ac etiam in Romana legitima de Astis sub tit. de legitima, & detractionibus.

Difficultas autem est in donationibus causa mortis, quæ licet in fieri speciem habeant contractus, at tamen in facto esse, ultimæ voluntatis potius speciem redolent, dum in ultimis voluntatibus, de jure communi generaliter filius familias inhabilitatus est, unde propterea videtur partis consensus pro habilitatione potius requisitus, idcirco pro solemnitate, quæ non potest prodesse auctoritatis, ac intervenire debet in ipso actu ex deductis per Merlin. d. contr. 99. n. 22. ubi ceteri.

Verum, (cum sensu etiam veritatis), inspectis, tam auctoritatibus, quam rationibus, in his quoque donationibus causa mortis, verius omnino dicebam, prohibent non esse patri, donationi ad sui favorem consensum præstare, seu eam absque illo factam per subsequentem ratificationem, re integra, & donatore vivente revalidare.

Rationibus etenim, quia cum jus patrie potestatis inductum sit favore patris, qui potest illud solvere per emancipationem, hinc non debet hoc in ejusdem odium retrogeri; Iniquum enim esset, ac naturali rationi contrarium, ut deterior esse debeat conditio patris, quam cujuslibet extranei, quodque posset pater validare actum favore tertii, ipse vero ad acquirendum esse inhabilitatus.

Item quia, licet donatio causa mortis in facto esse dicatur ultima voluntas, quoad plures effectus, at tamen verè & realiter in fieri est contractus, qualis ad hunc effectum potius reputandus est, nam alias sicuti de consensu patris donare potest, ita etiam potest legare, & tamen hoc est expressè prohibent per text. in l. 3. ff. de elegat. 1. Igitur necesse est in ratione contractus iste actus capiendus est, quoniam alias esset dare inconveniens, quod ultima voluntas penderet ab alieno arbitrio, quod adversaretur principiis.

Probatur quoque idem auctoritate text. in l. 1. C. de impendenda lucrativa descript. lib. 10. ubi supponitur donatio per filios parentibus, quem textum ad hoc communiter expendunt DD. de quibus infra, divinatim reputantes intellectum glou. ut intelligendum veniat de filii emancipatis; Atque textus in l. fin. §. filii autem Cod. de bonis que liberis & in §. 1. aut. ubi licet mater & avia, clarè disponunt, ut de iis bonis, quorum usufructus, ex legis, vel testatoris iudicio patri non queritur, liberum sit filios familias quoquomodo sine patre disponere, eo quia cessat ejus interesse; Ergo istius ratione lex ejus consensum exigit, quod in dubio præsumendum est juxta distinctionem Bart. & Aret. in l. si quis mihi bone §. iustum ff. de acquir. hæred. canonizatum per Rotam dec. 241. num. 7. post Zaech. de oblig. Camer. quod scilicet ubi lex requirit consensum alicujus, qui in actu nullo habere potest interesse, tunc dicatur requisitus tanquam auctoritas, seu solemnitas, è converso autem potius pro interesse.

Opinio autem Covarr. & Clar. ac aliorum, quam bene expendit præsertim Polidor. Ripa infra allegan. tota fundatur in textu in l. filius familias §. finali ff. de donat. Verum hoc videtur æquivocum clarum ex duplici fundamento, quorum unum est alterius consequentivum; Primum scilicet, quod ibi textus præsupponit filium familias equaliter prohibent esse donare inter vivos, & causa mortis, ibi pari autem ratione, quia donare filius familias prohibetur, ita & mortis causa &c. Ergo nulla differentia est inter unum casum & alterum; Licet enim idem textus in fine subiungat, quod dispensatio ad donandum, censetur inter vivos, & non causa mortis; At tamen glou. quæ ibi bene solvit, intelligit de dispensatione data ab homine, non autem à lege, atque receptum habemus in facultate disponendi inter vivos, ut non sit extendenda ad dispositionem per ultimam voluntatem, ut in sua materia.

Secundo corollarie, quoniam jus Digestorum non agnovit peculiorem distinctionem inducendam per jus novissimum, Codicis & Authenticorum, unde propterea quicquid filius acquirebat, patri acquirebat, idè non mirum, si patris consensus requirebatur tanquam forma, quoniam in effectu ipse erat, qui donabat de bonis suis, non autem filius, atque donatarius à patre potius acquirere dicebatur considerata persona filii tanquam per nudum organum, seu instrumentum, idcirco consensus paternus erat ille, qui animabat,

bat, seu substantiabat actum, ex deductis sub tit. de dote disc. 33.

Cum autem per ejus novissimum inducta fit peculiorem distinctio, atque in filios familias detur dominum, cum libera facultate disponendi, tunc ubi cessante usufructu, qui patri debetur, cessare dicatur ejus interesse, nulla videbitur infirmatio dubitandi, quoniam cum lex sit generalis, generaliter intelligenda est, exceptis casibus, qui juxta eisdem novissimum juris sententiam ita potius per DD. intellectum reperiuntur exceptuati, qualis est ille per eam dispositionem speciem, quæ tam in feri, quam in facto esse, est ultima voluntas, non permitenda filius familias, etiam si patris voluntas, vel consensus accedat, ex ea ratione, quod id dicitur esse illius publici juris, cujus filius familias omnino incapax est, neque ultima voluntas ab aliena voluntate pendere debet.

Eo etiam ponderato, quod merito attento Jure Digestorum dari non poterat casus, ut pater sibi ipse auctoraretur, ratione scilicet incomparabilitatis, & ne daretur actio, & passio in eodem subiecto, quoniam ita esset donator, & donatarius, cum cessante distinctio peculiorem, dominium bonorum penes ipsum patrem resideret, unde propterea dicto jure attentio, filio moriente, non dabatur ejus successio, vel hæreditas, sed totum pater occupabat jure prædictis; Contrarium vero hodie attentio jure novissimo in prædictis est verius, quoniam in peculio adventitio, vel etiam profectio improprio, pater non venit, nisi jure hæreditario cum aliis æquale jus intestatæ successiois habentibus, ut in sua materia sub tit. de successioibus.

Ex quibus, & aliis fundamentis, ita in terminis donationis factæ ad favorem ejusdem patris, vel in terminis non requisiti consensus, ubi cesset interesse, ultra alios ab eisdem allegatos, quos dum hæc scriberem (licet præter stylum, ægenium, quod hunc improbum laborem abhorret) firmant istius causæ occasione, vidi Castren. in l. senium num. 6. & 7. C. qui testam. ubi refert Petr. de Bellapert. & quod ita vidit consensum per antiquos DD. Peruffinos; Idemque repetit. in l. qui in potestate num. 10. ff. de testam. in l. 1. §. si quis questum num. 3. vers. ad contr. ff. ad Trebell. & in l. nemo ex lege num. 4. circa finem, vers. retineat communi opinione Cod. qui testam. ubi optimè reolvit contraria, & in l. senium num. 9. post medium vers. hinc est quod hodie &c. Angel. in l. 1. §. si quis questum num. 1. ff. ad Trebell. & Alex. ibidem num. 7. & 8. Jo. Andr. in Addit. ad Specul. de instrum. edit. §. 14. incipiente porro in prima addit. vers. adde q. vob. patris Guilelm. de Benedictis in cap. Regnatus verb. matrem in super num. 46. Ripa in l. 1. §. si quis questum num. 2. & 3. ad Trebell. Bart. in aurb. ut lex mar. & avi in princ. num. 7. vers. seq. quæro. Oldrad. conf. 26. Roman. conf. 51. Bald. conf. 61. num. 2. volum. 4. ubi quod in puncto juris indistinctè est verior opinio Petri de Bellapert. Angel. conf. 143. num. 1. Cepoll. conf. 58. n. 21. volum. 1. Cephal. conf. 531. ubi plenè contraria reolvit, adden. ad Alexan. conf. 106. lit. A. lib. 1. Epitom. ad Decium conf. 245. alias 144. Tufch. tom. 1. concl. 56. c. nu. 30. Vafq. de success. resol. lib. 2. §. 12. n. 16. ubi optimè Fachineus lib. 5. contro. jur. cap. 24. 25. & 26. Cevall. commun. contra comm. tom. 3. c. 79. 5. Polidor. Rip. singul. observ. 104. 105. qui respondet Clar. Covarr. & aliis in contrarium sententibus, Franch. dec. 4. nu. 17. Theaur. dec. 150. n. 15. & 16.

Et his addi possunt ceteri relati per Merlin. d. contr. 99. num. 23. Idque adeo per modernos verum habetur, ut contenti sint ad hunc effectum illo solo impetito consensu, qui refulset ex præsumpta donatione, quam pater dicitur facere proprie filii de dote sibi constituta cum stipulatione eidem filii reddi, qui est casus longe fortior ex iis, quæ deducta habentur sub tit. de dote disc. 32. & 33. ubi etiam de ista quæstione.

Scribentes in contrarium, magnum fundamentum constituebant in auctoritate Dec. conf. 237. & 279. & Covarr. & Clar. ac aliis, de quibus apud Merlin. Theaur. Cevall. & Polidor. Rip. ubi supra; Verùm facilis erit responso, quod scilicet eorum opinio est minus vera, utpotè fundata in dicto minus vero præsumpto, quod paternus consensus requisitus esset pro solemnitate, sed ad integrandum.

Instabant etiam super fraude, cum qua dicta donatio facta dicebatur, ad excludendum scilicet mulieris virum, ac respectivè filia superstitis patrem ab intestatæ istius successione; Verùm satis leve fundamentum erat, quoniam si ultra legitimam, poterat mater, privando filiam, donare inter vivos, vel de consensu patris causa mortis ejus bona extraxit, non videbatur, quod prohiberet ea relinquere eidem filia, quatenus viveret, sin minus ejus patri; Idcirco humanæ

rationali oppositum esse dicebam, ut licitum esse deberet mulieri virum sibi parum gratum, ac fortè malè mericum excludere, quodque non posset ad favorem patris facere eam dispositionem, quam posset ad favorem cuiuscumque extranei; Atque secundum præmissa per A. C. judicatum fuit pro patre, & quidem justè, ac fundatè.

F O R O S E M P R O N I E N . F I D E I C O M M I S S I  
P R O T H O M A T A N E R A  
C U M N.

Causa disputata coram Prælo Juce commissario,  
& resoluta ut infra.

De donatione inter patrem, & filium, an inducta censetur ex eo, quod pater, aliquid acquirendo, stipuletur pro filio, Et quatenus illa inducta censetur, an sit revocabilis, bonaque ita quæsitæ cadant sub ejus fideicommissio, vel alia dispositione.

S U M M A R I U M.

- 1 Falsi series.
- 2 De distinctione, an & quando bona donata, vel assignata per patrem filio, cadant sub fideicommissio per ipsum patrem ordinato.
- 3 Non est querendum an donatio sit valida, & revocabilis ubi incertum est, an ad sit ipsa donatio, de qua prius est videndum.
- 4 De distinctione contractuum pro regulando conclusionem, de qua n. 2.
- 5 Donatio inter patrem, & filium est invalida, & bona non abdicantur à patre.
- 6 Secus accedente juramento, atque in bonis ab ipso patre donatis deterior est ejus conditio, quam in iis, quæ filio donantur ab extraneo.
- 7 Assignatio facta filio in causam legitimam est quoadcumque revocabilis de jure.
- 8 Quid in hoc operetur juramentum.
- 9 Quando dicta assignatio sit irrevocabilis, & transferat dominium bonorum in filios, & quomodo quæstio decidenda.
- 10 De acquisitionibus factis per patrem pro filio quando censentur tanquam pro ejus hæredibus, vel jure proprio.
- 11 Excluditur donatio, si acquisitio pro filio habet etiam aliam causam.
- 12 De donatione implicata sub acquisitione officiorum de aliena pecunia.
- 13 De abusu circa auctoritatem doctrinarum.
- 14 Quomodo decidenda sit quæstio, an pater voluerit perfectè donare filio, necne.

D I S C. XL.

Cum Alphonfus unus ex filii N. Tanere Gomen. misisset ab alio negotiatore fundacum, sed tabernam mercium in Civitate Forosempronien. nomine proprio, alio non expresso, sub obligatione facienda accedere dictum ejus patrem negotiatorem, in patria commorantem, et ejus patrem negotiatorem, in patria commorantem, ad pretii solutionem obligando, declaravit ita stipulari, & acquirere nomine omnium aliorum ejus filiorum, quorum fundacum deberet esse commune; Decedens vero eisdem filios instituyendo, fideicommissum ad favorem descendentium ordinavit; Cumque Thomas testatoris nepos, cujus pater, ac patruus, tam dictum fundacum, quam alia bona distraherent, sed eorum creditores distrahi fecerant, immissionem ad dictum fundacum in primò instantia obtinuerit, in secunda instantia coram Prælo, cui causa commissa erat, excitata fuit difficultas, an dictum fundacum, utpotè filii inter vivos donatum, caderet nec sub fideicommissio, ac etiam, an ultra dictam donationem deberetur etiam eidem filii legitima, in cujus causam alia alienationes cederent, incertumque est quid sequutum sit, credo autem quod prima sententia parte reformata fuerit, ex eo quod itud fundacum ita pro filio quæsitum, in toto vel in parte electum censetur, ac cedere deberet in causam legitimæ, unde propterea pro rata huic detractioni congrua subintretur alienatio.

Unicam autem desuper editi informationem, absque communicatione iurium alterius partis, ac ulteriori discussione, unde propterea matrum iudicium super iudicatum super

super puncto donationis non de facili efformari potuit, potissime ob dictum alium punctum electionis, ac respective imputationis in legitimam, de quo agitur in sua materia sub tit. de legitima, & de donationibus.

Quatenus ergo pertinet ad punctum donationis, dicebatur ex parte Rei conventi, quod ob dictam stipulationem pro filiis in instrumento jurato, resultabat valida, & perfecta donatio, & consequenter bona non caderent sub fidei commissio; Et converso autem Ego scribens pro Actore jure fidei commissi veniente, dictamque donationem impugnante, dicebam duas in hoc proposito cadere quaestiones; Primò circa substantiam donationis, an scilicet pater acquirendo, vel stipulando pro filiis, ita censeretur eis donare voluisse, vel potius acquirere pro eisdem tanquam ejus heredes; Et secundò, postò quod exindè implicita donatio resultaret, an ista elset ab initio valida, & perfecta, adeò ut bona transferret in eorumdem filiorum peculium adventitium de pleno, ac perfecto dominio filiorum, vel potius remaneret in terminis peculii profectitii, ac in dominio ipsius patris, & consequenter sub ejus dispositione caderent, juxta distinctionem, de qua (postea donatione, vel assignatione, itaut non de istis substantia, sed solum de natura, sed validitate sit questio) ita distinguendo ad hunc effectum præsumptum comprehensionis, vel non comprehensionis sub fidei commissio, plenè ac elaboratè pro consueto extensoris stylo deductum habetur per Rotam in Reggion. bonorum 23. Februarii 1646. & 23. Januarii 1647. coram Corrado, quarum prima est impressa dec. 387. par. 9. rec. & repetit. post Merlin. de pignor. decis. 110. ac etiam decis. 21. post contro. Contril. in quibus cumulantur omnes de ista quaestione agentes, præsertim Gratian. discept. 82. & ubi cum commendabili quidem, nimirum fortunato stylo, plures in proposito colligit conclusiones, quas ex plurium causarum positionibus, & Advocatorum hinc inde scribentium Informationibus, absque tamen proprii ingenii operatione allqua desumpsi.

Incongruum siquidem dicebam assumere quaestione, an juramentum quod in isto instrumento continebatur, ut potè principaliter quosdam punctum ratificatione contractus emptionis ad favorem venditoris pro solutione pretii, tradendum esset ad hanc præsentiam implic tam donationem, adeò tollendo juris civilis prohibitionem, eam validam, ac perfectam redderet, dum principalis dubitatio erat circa substantiam, an scilicet pater donare voluerit, necnè; Non datur enim accidens absque substantia, itaque in meo sensu circa hujusmodi bonorum compræhensionem sub hereditate, ac dispositione patris, erat punctus, in deficientia scilicet substantiæ donationis, potius quam in accidentibus circa perfectionem, vel imperfectionem, sed validitatem, aut invaliditatem donationis.

Ad dignoscendum autem, an iste contractus contineret necnè hanc præsentiam donationem; Dicebam duas haberi species contractuum, quibus mediantibus, filii ex substantia, vel providentia patris bona obtineant, Unam scilicet illorum, qui principaliter, seu primario fiant directè inter ipsos patrem, & filios, quia nempe pater filius det, vel assignet aliqua bona, & ad quem finem contractus celebratus sit absque mixtura alterius contractus cum tertio; Et alteram ubi principaliter contractus fiat cum tertio, incidenter autem, seu consequenter resultat commodum filiorum, quia nempe pater acquirendo bona à tertio, stipuletur pro filiis, seu pro eis acquirere dicat; Atque in prima specie, distinctio est, an exprimitur necnè titulus donationis, vel potius alter titulus simpliciter assignationis, vel nullus exprimitur titulus, quia simpliciter pater in vita filius bona tradat, vel distribuat.

Primo casu, in quo explicitus habetur donationis titulus, nisi accedat juramentum, vel alia causa, ob quam de jure resultat imitatio regulæ prohibentis donationem inter patrem, & filios, plenum est ut bona quamvis expressè donata, peculii profectitii naturam habeant, ideòque filii non acquirantur, sed continentur in dominio patris, & consequenter remaneant in ejus hereditate, ejuisque dispositionibus subiecta sint, juxta textus expressos in l. si pater filio, ff. de donat. & l. donationes parentes C. de donat. inter vir. & uxor. utrobique scribentis collecti per Gratian. d. discept. 82. Manzaned. consil. 21. n. 11. cum seqq. Rot. decis. 344. n. 28. & seqq. p. 9. rec. & dec. 387. eadem par. 9. & frequenter.

Ubi vero talis donatio juramento munita sit, quamvis apud antiquiores sub quaestione fuerit, attamen scholis, & academici solum id hodie congruum remanet, quoniam in foro receptissimum est, ut per juramentum juris civilis obstaculum cesset, atque ipsa donatio valida, ac perfecta ab

initio existente, bona transeat in plenum dominium filiorum, affirmante naturam peculii adventitii magis quam alia bona, quæ ex aliorum conjunctorum, vel extraneo- rum donatione, vel successione obveniunt, cum in istis pater habeat usufructum legalem, ubi ejus prohibitio non accedat, quem non obtinet in illis ab ipsonem patre ex valida, & perfecta donatione obveniens, ex deductis apud proximè allegatis, ac etiam sub tit. de dote disc. 32. & alibi, cum sint principia in foro hodie præsupponenda.

Dicto autem explicito titulo donationis non concurrente, sed altero simpliciter assignationis explicitæ, vel implicitæ, sive illius distributionis, quam prudentes patres inter filios, jam effectuos majores facere solent, occurrente discordiis, quæ eo defuncto super modo dividendi frequenter contingere solent, Et tunc quamvis etiam assignatio explicitam haberet causam legitimam ipsi filii debent, adhuc tamen, ubi cessante juramento cum solis terminis juris civilis procedendum sit, talia bona remanent in terminis peculii profectitii, & consequenter perleverant in dominio patris, dictaque assignatio quandoquæ revocabilis est, ex relatis apud Gratian. d. discept. 82. Surd. dec. 167. n. 2. & 3. apud Buratt. dec. 3. n. 9. & præsupponitur tanquam absolutum d. dec. 387. par. 9. rec. & in supra dicta ejus confirmatoria 23. Januarii 1647. Ex quibus patet quaestione cadere, quando huic actui accedat juramentum, an scilicet istud adinstar juramenti, quod adicitur donationi causa mortis, regulandum veniat à natura actus simplicis divisionis, seu distributionis, ideòque remaneat revocabilis, juxta regularem naturam assignationis, vel distributionis, vel potius transeat in donationem perfectam abdicativam domini bonorum à patre, ac translativam in filios, dicto effectu resultante à contractu donationis, cum juramentum aliam non facit operationem, nisi tollere obstaculum prohibitionis juris civilis, ideòque non inducit titulum donationis ubi non adfit.

Ista verò dicitur quaestio potius quàm juris, certam non recipiens regulam, sed determinationem generalem cuiusque casui applicabilem, sed decidendam in singulis casibus pro eorum particulari qualitate, & circumstantiis, attendendo verba, vel clausulas, an scilicet hujusmodi abdicativam, ac respective translationem importent, necnè, aliaque circumstantias, ut in allegatis decisionibus 334. & 387. p. 9. rec. in quibus responditur pro donatione perfecta, & pro valida translatione bonorum in filios, nedum ex verbis, & clausulis prægnantibus, sed potissimum ex reservatione usufructus bonorum assignatorum ad favorem ipsius patris; Cum enim servitus non detur in re propria, hinc referandum sibi usufructum, per necessarium antecedens, dominiū, ac possessionem bonorum in filios transferre in animo habuit, atque de eisdem distinctionibus habetur etiam dec. 633. p. 3. rec. edita in causa, ex cujus positione Grat. compilavit d. discept. 82.

In altera verò specie contractus, qui principaliter fiat inter patrem, & tertium à quo accessorie, & consequenter resultat jus filiorum, ut frequentius in acquisitione feudis, vel emphyteusis, quam pater faciat pro se, & filiis, vel in donatione contemplatione matrimonii facta sponso stipulanti pro se, & filiis, cum similibus; Recepta distinctio est, quod Aut filiorum jus directè provenit ab insuetudine, vel donatore concessione verba dirigente ad patrem, & filios, & isti acquirant jus irrevocabile, quia non à patre; sed à tertio, quoties tamen gratuita sit concessio; Aut jus filiorum provenit à vocatione, sed providentia patris quia stipulatus fuerit pro se, & filiis, Aut quod ipsius concedentis verba in filios directè etiam sint, sed ex providentia etiam patris, quia nempe titulo oneroso, & correspondivo acquisitionis, ac respective concessio facta sit, adeò ut verificetur quod filii ex substantia, vel providentia patris eorum jus metiantur, & tunc dicitur peculium profectitium cadens sub ea libera dispositione facultate, quam pater habet de aliis ejus bonis, ut advertitur pluries sub tit. de feud. præsertim disc. 75. & sub tit. de emphyt. disc. 10. 18. & 32. ac etiam supra disc. 2. & alibi, quoniam est distinctio vera, atque in foro hodie recepta, adeò ut tyronium, vel scholasticorum partes videantur quaestiones desuper suscitare.

Applicando autem ad rem, principalis actus, quem pater facere in animo habuit, fuit ratificatio emptionis tabernæ, sed fundaci, ac se obligandi erga venditorem pro solutione pretii residualis, dum ejus pars numerata de eisdem patris pecunia, ac effectibus per dictum Alphonsum filium soluta erat, dictamque obligationem percutebant juramentum, & clausulæ, ac verba obligatoria; Mentio autem filiorum acci-

accidentaliter fuit, & consequenter, ex eo quod in instrumento per dictum Alphonsum in loco contractus initio, ipsius tantum nomine, ejuque hæredum dicebatur acquisitionem fieri, unde propterea, ad id advertendo prudens pater, nemè alias, ipso dictum instrumentum simpliciter ratificare, dictum solum filius prætereundè possit sibi id questum esse, jure implicitæ donationis, quam pater non de fundaco jam jure implicitæ donationis, de qua habetur sub tit. de Regal. disc. 1. & seq. præsertim disc. 150. ubi in specie de acquisitione officii facta per patrem in personam filii de ejus pecunia, ita declarare voluit, ut res quaesita communis esse deberet omnibus filiis, quos æqualiter, (ut sequutum fuit) juxta regularem naturam ordinem, ac impulsu, heredes insisterent interdebat, non autem, quod ex tunc dominium jure perfectæ, ac irrevocabilis donationis transferre voluerit.

Et tamen quia Grat. d. discept. 82. in aliquibus numeris, seu partibus dicit nescio quid super donatione, hinc proinde omnia hæc videantur Advocatorum subtilitates, ac ratiocinia, adeò oportet dispungere per partes eandem disceptationem; ponderando, quod licet in numeris, seu partibus præcedentibus diceretur ea, quæ dicebant scribentes pro filiis, deindè dicta decisione in eo casu, quæ impressa est par. 3. rec. decis. 633. moderatur antecedenter dicta, beneque comprobantur supra dictæ distinctiones (talis est nostrorum temporum miseria, quod hujusmodi simplicium collectarum verba examinare oportet, perinde, ac si essent verba legis in Pandectis).

In plerisque autem similibus controversiis sub hoc articulo cadentibus, tam occasione comprehensionis fidei commissi per patrem ordinati, sive frequentius occasione eludendi paternos creditores, aut etiam inter ipsosmet filios evitandi communicationem, sive imputationem quædam casum de quo d. disc. 150. de Regal. cum similibus, dicere consuevi, istam esse quaestione facti, & voluntatis potius quam juris, ex singularum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis decidendam, indagando verisimilem patris voluntatem, ac propterea præfusi erroneum esse pro adeò inepto pragmatiorum stylo decisores, ac auctoritates in uno casu donationem firmantes, vel respective excludentes, omnibus aliis applicare.

ANNOT. AD DISC. XL. & XLI.

Agitur in discursibus de quaestione an donatio facta per patrem filio importet simplicem destinationem, seu velleitatem, vel potius remaneat irrevocabilis, de qua etiam habetur alibi actum, & præsertim sub tit. de Testam. disc. 63. & sub tit. de legu. & de rat. disc. 21.

ROMANA DONATIONIS ET AUGMENTI PRO PETRO PAULO NALDO CUM MAGDALENA SORORE.

Causa disputata coram A. C. & resoluta ut infra.

De eadem materia donationis inter matrem, & filium, quando facta censetur, vel potius importet simplicem destinationem, seu velleitatem, & quatenus adfit, an sit revocabilis, necnè, & in specie quando dicatur facta filii pro augmento dotis; Et incidenter de onere patris, vel ejus heredis denudò dotandi, vel alendi filiam nuptam, quæ dotem amiserit.

SUMMARIUM.

- 1 Falsè series.
2 Filia, quæ amittit dotem, potius denudò dotem à patre in subsidium.
3 Intelligitur soluto matrimonio pro altero contrahendo, non autem primo constante.
4 Et quando constante eodem matrimonio dotans tenetur redotare.
5 An constante eodem primo matrimonio amissa dote, filia petat alimenta à patre, & quomodo hæc sint taxanda.
6 An actus importet velleitatem, vel perfectam voluntatem.
7 Filia per matrimonium non eximitur à patri potestate, & quando locus.
8 Juramentum validat donationem inter patrem, & filium.

- 9 An juramentum præstatum super primo actu operetur quoad ad alios actus consecutivos.
10 Donatio in casum dotis valet inter patrem, & filium.
11 Quod non cadit sub dote ad favorem viri, dicitur extradotale.
12 Et de donatione facta per patrem filii ad æqualitatem servandam.

DISC. XLI.

Collocavit in matrimonium Nicolaus Magdalenam filiam Paulo Emilio extra Urbem, cum dote soluta in quantitate scut. 700. Ad aliquos verò annos, melioris fortune effectus, Annam Marjam alteram filiam natu minorem collocavit in Urbe cum dote scut. 1500. & quinta parte hereditatis, seu bonorum reperidorum tempore obitus, declaratione adiecta, ut ex eadem hereditate, ac bonis priusquam dictæ quotæ detractio fieret, detrahi deberent sc. 1500. pro Petro Paulo filio mafuelo, & alia sc. 800. pro dicta Magdalena altera filia, ut ita inter heredes induceretur æqualitas, quam ipse cupiebat, ac in animo habere declaravit, sibi reservata facultate dictas summas detrahendi, ac filiis dandi etiam in vita ad ejus libitum; Cumque exortis diffidiis inter Magdalenam, & Paulum Emiliū virum (vel de jure, vel de facto) ad separationem thori devenit effect, dictique viri bona absorpta essent à creditoribus anterioribus, vel saltem ob eorum concursum intricata remaneret, unde propterea dictis restituito sequuta non erat, Nicolaus dictam Magdalenam ad Urbem egredientem, quandoq; domi, & quandoq; alibi, denuò vixit, aluit; & Moriens verò in testamento scripto hæredè dicto Petro Paulo filio, ac prævia revocatione dictæ destinatæ assignationis sc. 800. eidem Magdalene jam nuptæ, & dotatæ ad vitam reliquit mensuram scuta quinque circiter; Verum sequuta morte patris, ipsa expressè repudiando hoc legatum, iudicium instituit contra fratrem eorum A. C. super tribus; Primo scilicet super redotatione, stante prioris dotis amissionem; Secundo super alimentis; Et tertio super assuetudine dictorum sc. 800. quæ per instrumentum dotale alterius sororis supponebantur ei donata, seu data pro dotis augmento super prima verò petitione produci sententia Rei conventi absolutoria pro dictæ redotationis exclusione, atque decreta actrici quadam mensuram præstatione pro alimentis, decretum quoque fuit mandatum exequutum in vim obligationis cameralis in dicto instrumento dotali contentæ pro dictis sc. 800. adhuc tamen bul eodem iudice causa pendet, absque aliqua executione, decernendo interim quadam summas provisionales in causam declarandam.

Tres igitur fuerunt puncti in hac controversia cadentes; Primò scilicet redotationis ob primæ dotis amissionem; Secundo alimentorum; Et tertio dictæ donationis, sive augmenti dotis scut. 800.

Quatenus pertinet ad primum, Scribens ego pro Reo convento, cum sensu veritatis (qualem Iudex quoque habuit) Dicebam, Improbabilem, parumque fundatam esse actricis prentensionem; Quamvis enim filiam jam dotatam, quæ dotem præsertim sine ejus culpa amiserit, vel adeò intricatam habeat quod sibi inutilis remaneat, pater vel ejus heres denudò dotare teneatur; Cum ea differentia, quod prima dos purè, non autem in subsidium debetur filia, quamvis divitis ac aliunde provisa, ut sub tit. de dote disc. 1. ista verò subsidiarè tantum, & quatenus aliunde provisa non sit, ut eod. tit. de dote disc. 4. & disc. 142.

Attamen id intelligitur soluto eo matrimonio, pro quo prior dos constituta fuit ad effectum, ut denudò nubere valeat & ne viduitatem mulier pati cogatur, atque honestatis periculo subjacere. Secus autem eo matrimonio adhuc durante, cum tunc viro inope, neque ipsa filia aliunde provisa, intrare solum videatur patris, vel ejus hæredis obligatio ad alimentum; Et quicquid aliqui teneant in contrarium, volentes etià eo matrimonio constante, redotationis locum esse; (cum scribentes in hac facultate nihil pacificum relinquere voluerint) ut præsertim tenent Cavat. de indemn. mulier. per tot. signan. n. 229. & seq. Lara in l. si quis à liberis §. idem iudex ff. de liber. agnoscentis n. 21. & alii relati per Andream. contr. 332. n. 12. & per Mangil. de evict. q. 74. n. 6. & seq. Omnino tamen verior, magisque recepta est contraria, ut patet ex deductis in dicta sua materia sub tit. de dote disc. 4. & 142. & aliis collectis per Boss. de dote c. 4. n. 28. & seq. Tunc etenim, eodè matrimonio constante, patris, vel alterius dotare obligati redotandi obligatio adhuc viget, quando amissio prioris dotis ipsius dotantis culpæ adscribi potest, quia nempe, inita conventionione de illius tuto investimento, postmodum muliere non

non consentiente,libere soluta fit viro,qui detegatur minus idoneus,juxta dec. 77. & 92. Merlini, & d. disc. a. de dote.

Super secundo puncto alimentorum, nulla fuit controversia in genere super illorum debito in substantia, cum ego posito casu subsidii, quoadque filia aliunde provisa non esset, id admittere, solumque controversia fuit super majori, vel minori taxa, cum actrix praterderet eam faciendam esse inspectis facultatibus, ac statu paterno de tempore mortis, (in quem sensum aliquatiter Juxta inclinabat.)

Id autem, etiam in sensu veritatis mihi videbatur non subsistere, cum patris, vel ejus hæredis obligatio, utpote mere subsidaria, egressi, seu transgredere non debeat obligationem viri, si effectus idoneus, dum pater dotando congrue de tempore matrimonii, (quod ad congruitatem regulandam attendi debet ex deductis in dicta sua materia sub tit. de dote disc. 144.) ita proprie obligationi satisfecit, non curato ejus facultatum, & fortunæ incremento, cum in casu decrementi filia non subiaceret dotis jam constitutæ diminutioni; & consequenter, cum ipsa contenta esse deberet ad substantiam, quæ congrua effectus qualitatibus, sed conditioni viri, quantum perverfa fuerit in eodem statu, in quo erat de tempore contracti matrimonii extra Urbem in loco in quo longè minores sunt sumptus, prolixius improbabile dicebam pretendere alimenta ad terminis congruentie in Urbe, juxta ponderationes, quæ habentur super loco domicilii viri eod. tit. de dote disc. 2. & seq.

Quo verò ad tertium punctum præsentis donationis scutorum 800. deducit ex reservatione ut supra facta occasione; Primò scilicet, an dicta voluntas per patrem explicata, esset perfecta, adeò ut donationem redoleret, vel potius remaneret in simplicibus terminis propositi, sed velleitatis; Et secundò quatenus voluntas perfecta esset, an effectus revocabilis, necne.

Super primo, cum sit potius facti, ac interpretationis verborum, quam juris, hinc non facile est redarguere judicium de improbabilitate, utpote in re arbitraria, cum ob ingeniorum varietatem, eadem doctrina, ac integritate concurrente, frequenter varia soleant esse judicia; Mihi tamen, inspecto contextu verborum, probabilis videbatur, quod ea continenter velleitatem, seu propositum, ac solum per viam reservatæ facultatis detrahendi ab asse istas summas aliis filiis destinatas, ne alias conjuges, quibus quinta pars hæreditatis promissa erat, dictam deductionem impugnare possent, ut de jure potuissent, nisi dicta reservatio facta esset, non autem voluntatem perfectam donandi.

Juris autem articulus cadebat (posita etiam perfecta voluntate donandi) super revocabilitate, vel irrevocabilitate; in hoc autem ego scribens per revocabilitate dicebam, regulam juris huic asserere prohibitam donationem inter patrem, & filium, in potestate, à qua (cessante jure municipali scripto, vel non scripto, ut est in Civitate Neapolis per illas consuetudines, ac in aliquibus Hispaniæ, & Lusitanæ partibus, & alibi, in terminis juris communis, verius, magisque receptum est, matrimonium non liberare ex deductis per Galeot. lib. 2. contr. 30. Castagna in tract. deductis 4. 7. n. 30. & seqq. Castill. de usus. cap. 3. n. 75. & seqq. Hodiern. contr. 107. 13. & habetur etiam sub d. tit. de dote disc. 32.)

Non negabant scribentes pro actrice dictam juris regulam, insisterent verò in tribus limitationibus, quas omnes, è converso ego in abstracto admittebam tanquam veras, negabam tamen applicationem, cujus proinde tota quæstio fuit, Primò scilicet ratione juramenti, quod admittebam ex veriori sententia, validam, ac irrevocabilem reddere donationem inter patrem, & filium; Verùm dicebam quod juramentum in hoc instrumentum contentum percutiebatur donationem alterius filiarum, ac observantiam illius contractus, non autem hujusmodi enunciatiam detractionem, ac assignandi voluntatem respectivè, ut de juramento præstito super una obligatione non trahendo ad alios actus consecutivos habetur ex Fabro, & Ger. Spino, & aliis apud Manziung. conf. 22. quod tamen non procedit ita simpliciter, sed pro facti qualitate, cum dicto opinio Ger. Spin. Giovagnon. & aliorum rejecta sit per Ro. dec. 189. post Zacc. de oblig. repet. dec. 40. p. 9. rec. & in decisionibus editis in causis de qua sup. disc. 1.

Alteræ erat limitatio, quod id factum esset ob augmentum dotis, in cuius causam rectè cadit donatio inter patrem & filium, ex deductis dec. 137. num. 2. cum seq. par. 8. rec. & in dicta sua materia sub tit. de dote disc. 154. Verùm eam admittendo, negabam applicat onem, cum nullum verbum de dote, ejusque augmento haberetur; Undè propterè observabam quod si vir ad meliorem fortunam, redeundo, atque sequata reconciliatione, matrimonii onera susten-

tare deberet correspondere ad dotem, dicta verò voluntas paterna effectum sortita esset, juxta rata sine dubio remansisset in terminis bonorum extradotalium, neque vir invita muliere praterderet possit sibi deberi tanquam dotem, ut sequeretur, si ejus augmentum esset, cum verum augmentum tanquam species alluvionis confundatur cum dote, ejusque jure materia tanquam unum, & idem ex adductis in dicta sua materia disc. 165.

Tertiæ erat limitatio resultans ex motivo servandi inter filios æqualitatem; Verùm in hoc advertebam, quod istud sit quidem justum, ac rationabile motivum ad honestandam donationem, de qua alii filii conqueri non possint, ac etiam fortè ad illam reddendam quodammodo causativam ut non subiaceret illis rigorosis statutariis solemnitatibus, quibus puræ donationes subjacent ex solo liberalitatis motivo manentes, non autem ut exclusio juramento, attentaque sola dispositione juris civilis, vel exclusio titulo dotis, id redderet perfectas, ac irrevocabiles donationes inter patrem, & filium, quoniam etiam assignationes, vel distributiones, de quibus dec. præced. idem motivum habere solent servandi æqualitatem inter filios, si ve pro tollendis disensionibus inter eos post mortem patris super divisione, non tamen irrevocabilitas resultat; Idèdè non percipiebam motivum irrevocabilitatis, nisi quod crederetur id importare augmentum dotis juxta secundam limitationem quod mihi non satisfaciebat.

ROMANA ANNUÆ PRÆSTATIONIS PRO TITULO CUM BERTA.

Casus disputatus in Rota non resolutus, sed concordatus.

An valeat donatio facta per militem concubinæ; Et quid de donatione facta Histrionibus in genere; Et quando utraque qualitas concurrat.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
2 Militi prohibitum est donare amasiam, vel concubinam, & num. 5.
3 De irrevocabili donatione, quæ fit Histrionibus.
4 Milites nostri temporis, et, & quando gaudeant privilegio antiquorum militum, vel in eis procedant, quæ de illis in jure disputantur.
5 Limit. sup. conclusio, de qua num. 2. ubi fit bono animo, ut mulier ad meliorem frugem redeat.
6 Quid ubi donatio est jurata.
7 Distinguntur species Histrionum, & qui sint illi, quibus prohibitum est donare.

DISC. XLII.

Quidam strenuus, ac generosus miles, vir nobilis, primarium obtinens, & exercens militare munus, amore captus ejusdem mulieris, scilicet histrionatus artem exercebat, atque scenicas partes mirabiliter agebat, aliaque bonas qualitates forma, & suavitatis morum habendo conjunctas hominum corda nimis trahebant, eidem donationem fecit, de quadam annua vitalitia præstatione, ab ipso vel ejus hæredibus præstanda, ultra confessionem debiti (summe notabilis in sorte principali sub asseritione mutui; Cumque, (ut frequens est hujusmodi amantium consuetudo,) prædictæ donationis penitus esset, idèdè præstationis solutionem denegaret, hinc donataria cum judicialiter pulsavit, Et introducta causa in Rota coram Verrospio, assumptaque disputatione super dubio manentibus per actricem intentatæ, præcipua disputatio fuit potius facti quam juris, an scilicet per ipsam probaretur quasi possessio exigendi, quam deducebat ex unica solutione unius terminii fenestralis, ob plures exceptiones, quas testes ad id induci patiebantur, undè propterè proposita causa sub die 10. Februarii 1653. nulla capta resolutione, rescriptum fuit, ut videretur de bono jure, quod causavit terminationem litis dum actrix aliquo accepto, acquievit.

In hac autem disputatione super dicto summarissimo iudicio possessorio, ad illud, vel impediendum, vel offuscandum pro donatore reo convento scribens, deducebam dictæ donationis infectionem dupliciter de jure resultantem, Primò scilicet quia facta esset per militem actu in castris existente con-

concubinæ, seu amasie, juxta text. claros in l. miles ita s. mulier. ff. de militar. testam. l. mulierem ff. de indultis l. 2. C. de donat. inter vir. & uxorem cum concord. per Roland. conf. 98. nu. 1. & per tot. lib. 1. Petegri. de jure fisci lib. 2. tit. 9. nu. 3. Et secundo, quia facta exercebat artem histrionatus, cui prohibitum est donare, atque donatio reputatur illicita, & peccaminosa ex sententia D. Augustini registrata in Can. Donare 86. dist. ubi Turrecremata, Alberici in diction. verb. Histrionibus. Bertachin. in reposit. verb. Histrioni donare non potest.

Scribentes pro actrice, quatenus ad primum fundamentum pertinet, plures dabant responsiones; Primò scilicet, quod milites nostri temporis non æquiparentur militibus antiquis, neque sub legibus de iis disponentibus veniant ex auctoritatibus, de quibus infra; Verùm hoc motivum parum tutum videbatur cum conclusio procedat, quando milites remanent in otio propriæ domi, fecus autem ubi sunt actualiter in expeditione, vel castris, cum tunc ea, quæ de jure in illis militibus disponentur, in iis etiam locum habeant ex deductis per Bovadill. lib. 4. Politicæ. cap. 1. sub n. 13. Magdalen. de num. testium in testam. requisit. par. 1. cap. 18. Thesaur. jun. quæst. forens. 99. lib. 1. Maltrill. decis. 173. Apont. de potestate Proleg. tit. de consens. regis. §. 4. cum que Rot. in Romana Testamenti 21. Martii 1656. cor. Cerro impress. dec. 150. p. 12. rec. ubi occasione testamenti conditi per militem more militari de hoc disputatum fuit.

Secundo dicebatur talem donationem sublineri, quoties fieret bono animo redeundi in honestam mulierem ad meliorem vitæ frugem, atque ut ita de alimentis provisa, à vita peccaminosa abstineret, cum tunc potius diceretur donatio ad piæ causas Gugliel. de Benedic. in cap. Raynutius p. 1. verbo, & uxorem nomine Adelsiam sub n. 161. Thomal. de piæ causis tit. 1. c. 10 sub n. 155. Marta de success. p. 4. q. 18. art. 4. sub n. 19. Grat. discip. 31. n. 35. Marant. tom. 1. resp. 2. n. 77.

In hoc admittebam propositionem veram de jure, quam longè post hæc scripta firmavit etiam Rota in Romana annuæ præstationis 4. Julii 1662. cor. Bevilacqua impress. post Zuff. de legit. process. dec. 102. de qua sub tit. de testam. disc. 46. ubi de legato facto per quemdam Magnatem ad favorem in honestam mulieris.

Verùm negabam applicationem ad factum, quoniam scriptura donationis hujusmodi causam non exprimebat, ut verisimiliter omnino experimeret, si ea in animo donatoris fuisset, sed potius alie experimuntur causæ mere personalem ac prophanam affectionem denotantes; Et quod magis id excluderetur ab effectu, quoniam in facto justificabatur, quod etiam post asseritam exactionem, & de tempore præsentis disputationis dicta mulier in eodè statu continuabat.

Tertium erat fundamentum juramenti ex deductis per Gugliel. de Benedic. d. n. 161. Amendol. ad Franc. dec. 28. Ricc. collect. 791. Thesaur. dec. 111. idèdè aliquam præbebat difficultatem, cum receptum fit ut per juramentum cesset quæcumque Juris Civilis dispositio, atque ubi illud non est contra bonos mores naturales itaùdque illegitimum, atque saluti æternæ servari possit, est semper servandum ad text. in cap. per vestras de donat. inter vir. & uxorem cum concord. de quibus pluries in præcedentibus; Nisi diceretur, quod hæc prohibitio fundata etiam dicatur in tollendo occasione peccandi, que in militibus, ut plurimum uxore carentibus, atque licentiose vitæ regis vacantibus est satis prompta, sed cum hæc omnia incidenter tunc deducerentur, atque his deinde cessaverit, desuit occasio maturius ea examinandi pro indaganda veritate.

Quoverò ad alterum fundamentum histrionatus, obstat quoque videbatur dicta ultima responsio ratione juramenti, nisi subsisteret jam dicta replicatio, quod cum ex dicta sententia S. Augustini, cum qua transeunt D. Thomas, & cæteri de quibus Turrecremata, hujusmodi donatio peccaminosa reputatur non debeat juramentum actus illicitos, & peccaminosos revalidare & conservare, cum illud esse non debeat vinculum iniquitatis.

Dicebant etiam scribentes pro actrice quod duo sunt genera histrionum, unum scilicet illorum, qui joculariores, & mihi nuncupantur, scenam in postribulum verentes, & obscenissima facta repræsentantes, & qui lenonibus, ac meretricibus comparantur atque inter personas infames connumerantur, adeò ut neque testes esse possent, eosque exheredare licitum esset, cum aliis, quæ in jure circa eorum personas habentur; Alterum verò est histrionum nostrum temporis, qui mediantibus fabulis, ac fictis argumentis humanæ vitæ similitudinem veluti in speculo repræsentat, potius comici nuncupandi, ac reputandi, ac advertit cæteri allegatis Menoch. de arbit. casu 69. sub n. 17. 24. 42. & plur.

Seq. in addit. Iis autem histrionibus dicebant non convenire præfatam Divi Augustini sententiam, cum nullum malum, vel peccaminosum exerceant, atque ab Ecclesia etiam in ipsamet Urbe permittantur ac tolerentur.

Dupliciter huic fundamento respondebam; Primò quod Turrecremata loco cit. omnium melius pro meo iudicio distinguens ex Divo Thoma & aliis, dicit quod histrionibus primi generis nihil, nec quidem minimum donari potest sine peccato; Aliis autem secundi generis donari potest moderatè ad sustentationem, & pro congrua mercede eorum ministerii, fecus autem immoderatè, & in excessu, cum tunc enim peccaminosum videatur, neque ab hoc sensu deviant Morales, qui primæ tantum distinctioni inhaerentes, ad hanc distinctionem non descendunt; Verùm de hac responsione dubitabam, quoniam si hæc secunda species histrionatus non est illicita, neque peccaminosa, sed ab Ecclesia permilla, neque inducit illam infamiam, alioquo effectus, quos prima, personæ inferioris esse debeant conditionis quacumque alia de populo, cui donari potest, cum quodammodo ista videatur species virtutis, ac eruditionis, & talenti exercitium.

Solidam tamen credebam alteram, quod scilicet ubi cum histrionatu, seu comico exercitio, coniungitur etiam vita inhonesta mulieris, quæ cum corporis forma hæc exercitium coniungendo, facilius homines ad peccandum cum ipsa alliciat, adeò ut histrionatus, seu scenica gestio fit causa satis proxima, & inductiva peccati, tunc debeat reputari jure histrionum primi generis, cum adamussum convenienti eadem rationes; Verùm hæc omnia in sola ratione discurfiva, & incidenter deducebantur; reservato iure eorum veritate maturiori iudicio, quando disputandi occasio præberet, cum hujus Curie Advocati non concedatur ob occupationes, stylum extrâ præciam negotiorum necessitatem in non necessariis evagari.

ANNOT. ADD. DISC. XLII.

Milites nostri temporis gaudent privilegio militum circa facultates disponenti de eorum bonis, & de aliis ad materiam videantur etiam quæ habentur sub tit. de jurs. di. disc. 23. & 108. & sub tit. de testam. disc. 28. & in Summa fideicommissorum n. 54. & seq.

ROMANA SEU VOLATERRANA SPOLII PRO PRINCIPISSA LUDOVISIA, ET CONSORTIBUS CUM VINCENTIO SACCHETTO.

Casus decisus per Cameram pro Vincentio postea concordatus.

Donatarius Principis, an possit molestari à Domino bonorum donatorum, ad materiam textus in l. omnes, & l. bene à Zenone Cod. de quadrienn. prescrip. Et generaliter, quæ actio competat rei domino contra donatarium, qui à non domino rem donatam habuit, ubi ea non extet.

SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
2 De probatione identitatis argumentorum, & bonorum ad effectum excludendi spolium.
3 De regula text. Lomnes, & l. bene à Zenone Cod. de quadrienn. prescrip. & limitationibus.
4 Quæ actio competat Domino contra donatarium, quem non constat habere bona.
5 Quomodo constare debeat de versione, seu locupletatione.
6 De hærede putativo ad quid teneatur.
7 Quod liberaliter obtinetur, ac liberè impensum est, vel alteri donatum non est restituendum.
8 De exitu cause.

DISC. XLIII.

Æquata morte Episcopi Volaterrani, Nuntius Apostolicus Florentiæ, juxta stylum, sub questro posuit omnia bona mobilia per ipsum possessa, inter que præsertim aderant multa vasa argentea in pondere librarum 150. circiter, alique bona, utpote sub spolio cadentia; Et quoniam Vincentius Sacchetti eius frater, ac legitimus hæres ab

ab intestato se opponeret, allegando quod bona prædicta præsertim vasa argentea sub spolio non caderent, utpotè quæ sita ante Episcopatum, partim titulo emptionis, & partim donationis ab Imperatore, aliisque Principibus, apud quos defunctus ante status immutationem, Oratoris munere pro magno Duce Etruriæ fundus erat, Nihilominus Nuntius per sententiam, dicta oppositione rejecta, declaravit sub spolio cadere, & eaque incamerata transmissit ad Innocentium X. qui per chirographum vasa argentea elargitus fuit ejus nepotibus hoc est libras 120. Principiæ Ludoviciæ ex fratre nepoti, alias 120. Principiæ Justinianæ 230. & quædam alia bona Principi Pamphilio, eodem gradu conjunctis, & 80. Cardinali Astallio, tunc in Familiam Pamphiliæ adoptato, & Cardinalis nepotis figurâ gerenti.

Sequitur morte Pontificis, post 12. annos, Urbem adit prædictus Vincencius, atque obtema ab Alexandro VII. successore aperitione oris adversus clausulas in chirographo contentas, iudicium instituit contra prædictos super dd. argentorum restitutione coram Thefaurario Generali, à quo sententiam obtinuit reos conventos condemnantem ad exhibendum, & restituendum argentea controversa, & in casu exhibitionis ad solutionem pretii, & valoris, ut sunt ejusdem sententia verba præcisa, à qua interposita appellatio, & commissa causa in Camera Gasaldo sub die 29. Januarii 1664. prodiit resolutio per dictam sententiæ confirmationem, atque in aliis disputationibus, tam in eadem, quam in sequenti instantia habitis perlitit in resolutis.

Tria autem erant fundamenta, ex quibus rei conventi erelebant, in iunctam esse Thefaurarii sententiam, atque ad restitutionem urgeri non posse primò in facto, quod scilicet non bene probaretur de assertis acquisitionibus ante Episcopatum vel saltem de identitate, quod scilicet illa essent eadem, ex donationibus præsertim, ut supra venientia.

Secundo ob dispositionem text. in l. omnes. Et bene à Zenone C. de quadrienn. præscript. per que jura disponitur, ut obtinens bona quamvis aliena ex donatione Principis, illi cõtus reddatur, neque ab ipsorum bonorum dominio, neque à fisco possit molestrari, competente solum domino actione contra fiscum intra quadriennium, quo elapso præscripta actio remaneat; Et tertiò incompetencia actionis ob non probatam existentiam bonorum donatorum de tempore mortis litis, vel saltem non probato, quod rei prædicti dolo possidere desissent, qua probatione cessante, dicebatur nullam exerceri posse actionem contra tertium, contra quem non datur personalis refulans ab obligatione per contractum, vel quasi, vel delictum, vel quasi; cum actio personalis dicatur filia obligationis, non producenda sine morte.

Reflectendo ad veritatem, tam in congressibus Advocatorum, quam etiam post resolutiones, dubitabam de subsistentia primi, & secundi fundamenti, quæ iuste rejecta fuisse videbatur; Quatenus enim pertinet ad primum de quo utpotè in solo facto consistente non pertinebat ad Advocatos inspicere, testes per adorem inducti satis bene concludebant acquisitionem ex dictis titulis emptionis, vel donationis in quantitate; Solaque difficultas cadebat circa plurimum identitatem, quam non bene concludebant; Verum id mihi non videbatur considerabile, stantibus facti circumstantiis, quod scilicet ageretur de viro satis provide, & economiæ nimium professore, atque possidente tenuem Episcopatum, cum cujus redditibus vix necessariam sustentationem reportabat, undè duplex refulcabat improbabilitas, una scilicet quod priora argentea ante Episcopatum quæ sita dissipasset, & altera, quod ex Episcopatu fructibus ex crescentibus alia nova in tanta quantitate acquirere potuisset, sed omninò probabilis erat ut respectu illorum argentorum, quæ per testes non bene identificabantur, aliqua intercesserit immutatio, ut frequens est consuetudo, ut scilicet vasa habentia formam modernis moribus incongruam, in aliam usitratam, seu denuò in alterum magis opportunitum usum convertantur, undè propterea licet aliqui ex colligantium defensoribus super hoc fundamentum insisterent, mihi fensu illud visum fuit contemptibile.

Major pars Defensorum, qui ob pluralitatem dictorum corcorum multi erant, magnum considebant fundamentum in altero motivo deducto, ex allegatis Juribus in l. 1. & 2. C. de quadriennali præscriptione; Licet enim scribentes pro Actore plures eis darent limitationes desumptas præsertim ex Petra, qui omnium lites materiam agit in tractatu de fideicommissis q. 1. & 2. Castill. lib. 2. contr. cap. 3. apud quos cæteri collecti habentur: Illam præsertim quod dictorum Jurium dispositio, utpotè exorbitans, & rigorosa attendenda non sit de jure Canonico, quod in

Romana Curia fervandum est; Et alteram, ut cessent, ubi agitur de bonis litigiosis, vel quod alias Princeps esset in mala fide, Attamen dicti Scribentes pro reits conventis dicebant (& in hac parte bene) dictas limitationes non subsistere.

Non quidem primam plene deductam per Paris. conf. 27. lib. 1. Riminald. conf. 435. & alios per Petr. ubi supra n. 147. quoniam in contrarium est magis communis, & cõ bene fundata, ut liquet ex deductis per Honded. & alios relatos per Castill. ubi supra; Altera verò limitatio cessabat ex facto, quoniam non constabat, quod prædicta lites agitate in Curia Nuncii Florentini, fuissent conciliæ, tam Papa donator, quam donatarii; Et nihilominus adhuc satis probabiliter dubitari etiam poterat in puncto juris de prædictæ limitationis veritate, dum verè textus prædicti percutere videntur casum, in quo Princeps sciens, bona aliena elargiatur; Verum super hoc discutendo immortatum non fuit, cum difficultas cessaret ex facto.

Solida tamen credebam alteram limitationem resultantem ex cessante præsupposito, cum quo Papa hujusmodi donationem fecerat, dum non donaverat simpliciter, sed expresserat causam ipsius prædicti, & sic tenentis donandi animum habuit, quatenus creditit dicta bona sub spolio cadere, atque ad se pertinere, aliis non donaturus, ideòque dicto præsupposito cessante, dicitur cessare voluntas, sine qua potestas nullam facit operationem, juxta sensum Cini, & Baldi & aliorum ibidem, de quibus Soccin. conf. 46. lib. 4. & cæteri apud Petr. n. 146. Castill. d. cap. 5. Et licet Alciat. & cæteri per eodem relati contrarium etiam isto casu subintere conentur, Nihilominus occasione ejusdem congressus, visis in fonte Reperentibus, atque bene consideratis utriusque opinionis fundamentis, verus videbatur, hanc esse magis communem, & cõ melius fundatam, ex dicta præsertim ratione verifimiliter cessantis voluntatis.

Tertium verò motivum mihi, & cæteris omnibus istorum corcorum defensoribus, omninò firmum videbatur, & cujus ratione credidimus quod resolutio in puncto juris verè non subsisteret, quodque potius ex quadam non scripta æquitate proderit, seu ex quadam arbitrio, quod egrediendo juris cancellos solent Judices, & præsertim magna Tribunalia, quandoque sibi assumere.

De jure siquidem contra tertium dari non potest actio personalis, cum hæc, ut supra insinuatum est, non datur nisi ex præcedenti obligatione resultantem ex contractu, vel quasi, seu delicto, vel quasi, illaque præsertim contra donatarios nunquam datur, nisi quoties ageretur de donatorio universalis, qui habendus est loco hæreditis, idque potius ex quadam æquitate deducta ex ratione manns circuitus evitandi, quam ex dispositione juris, ex deductis in Romana census disc. 45. Actio autem realis practicabilis non est, nisi ad rem extantem, atque existentem cessante, ad summum contra tertium aliud competere non potest, nisi (data mala fide) actio de dolo, quatenus non consistit de locupletatione, quodque bona aliena donata vera fuerint in utilitatem, cum tunc competat actio de in rem verso, vel conditio sine causa, vel iudicis officium deductum ex aequitate text. in l. si me, & Titium ff. si cori. petat. itaut perneceffe unum ex his concurrere debeat; Vel scilicet quod bona extent, & ab ipso possideantur, Vel quod dolo, & mala fide possidere desierit, cum tunc habeatur pro possidente; Vel demum quod ex eis factus esset locupletior, itaut contenderet de lucro captando, ac de se locupletandum cum aliena jactura ex iis, quæ in proposito habentur deducta in Romana sen Crovatis Vetule mercium sub tit. de Regalib. disc. 129. & in Romana pecuniaria sub tit. de credito disc. 72. ac etiam sub titulo de empt. & venditio. in Janu. disc. 42. ac liquet ex omnibus agentibus de materia actionis de in rem verso, sive de æquitate deimpta ex text. in dist. l. si me & Titium ff. si certum petatur, quoniam omnes fundamentum constituunt in locupletatione, seu versione in utilitatem, ex deductis per Merlis. decis. 533. num. 25. Othob. decis. 40. num. 46. & seq. Capyc. Latr. consultat. 95. num. 9. Rota in Romana pecuniaria 15. Junii 1664. coram Bevilacqua, edita in causa, de qua d. disc. 72. sub tit. de credito.

Locupletatio, seu versio in utilitatem exigitur de tempore quo quis convenitur, itaut de presenti agat de lucro captando contra agentem de damno vitando, ut ad litteram probat text. in l. si pro parte in §. versum autem ff. de in rem verso. ubi, versum autem sic accipimus, ut versum dicitur, & in eadem l. §. si domini debitor, ubi: Nihil videtur versum, sive postea debitor esse domini cepti, desinere esse versum, ubi glof. verb. sub

DISC. XLIV.

subventum subjungit illa verba, Ergo quom non sit in lucro, non tenetur.

Ad quod ponderabam jura litteralia in l. sed si logs §. eos autem, & l. item veniunt §. consultus ff. de petit. hæredit. ubi Galtrenf. & cæteri, de quibus in Romana hæredit. 23. Junii 1664. cor. Ninoi., & in eadem causa sub tit. de Regal. ad materiam officiorum disc. 1. ubi quod hæres putativus bonæ fidei, restituere non tenetur verò hæredi, minisque in propriam portionem imputare, nisi id quod in specie, vel in æquipollenti haberet de tempore, quo suus non titulus detectus est, Idemque habemus in tertio possessore bonæ, vel non malæ fidei, percipientis fructus ex re aliena, quoniam nisi extet, vel concurrat locupletatio, non restituantur, cum similibus.

Et merito quoniam bona, quæ ita obveniunt, de facili consumuntur, seu aliis liberaliter conceduntur, quod alias factum non esset, unde propterea, contra, scripti, ac naturalis juris rationem, beneficium converteretur in maleficium; si id, quod liberaliter obventum est, liberaliter etiam impensum, sed aliis erogatum fuit, restituendum esset de proprio; Verum quamvis contra hæc nil relevans deduceretur, nihilominus Camera creditit quod argentea prædicta utpotè ex quotidiano usu non consumptibilia, præsumerentur existere, atque hujusmodi probatione præsumptiva contenta fuit; Et quod magis est, neque attendere voluit juramentum exhibitum per unum ex eis, nempe Principem Pamphilium jurantem se dicta bona, nec in specie, nec in æquipollenti habere, vel desisse possidere, cum revera alii donasset.

Quatenus autem pertinet ad Principissam Ludovissimam, pro qua Ego scribebam, controversa finem habuit per honorem concordiam, quam ejusdem Principissæ interim defunctæ hæreditibus libenter consuli, etiam pro exonerationis conscientie auctoris, quoniam spectatis ejus moribus, & consuetudine, omninò improbabile erat, quod argentea prædicta non extarent, saltem æquipollenter ob eorum erogationem in alia argentorum specie, vel in alios effectus adhuc durantes, quo casu sui auctoris erat certum; Idemque fecit foras ex eodem motivo.

SUMMARIUM.

- 1 De donatione facta à Principio.
- 2 De actione competente Domino contra rei possessorem.
- 3 De hærede putativo.

ANNOT. AD DISC. XLIII.

- 1 Ad materiam text. in l. omnes, & l. bene à Zenone, Cod. de quadrienn. præscript. conferunt deducta sub tit. de regal. disc. 148. Et de casu converso, an scilicet valeat donatio facta Principi, ut privatorum jura excludat, habetur actum in hoc tit. disc. 74.
- 2 Quæ autem actio competat rei Domino contra Tertium bona via possidentem, conferunt deducta sub tit. de Regal. disc. 129. de cred. disc. 72. & sub tit. de emptio. & venditio. disc. 42. & in hoc tit. de Donat. disc. 65.
- 3 Et de hærede putativo ultra deducta disc. 1. de Regal. habetur in sua sede sub tit. de hæred. disc. 8. 17. 18. & 27.

MUTINEN.

PRO CREDITORIBUS ALEXANDRI.

Responsum extra Curiam ad causam cum aliquo sensu veritatis.

Donatarius omnium bonorum, an teneatur ad consecrationem inventarii: Et an ejus omnissionem teneatur creditoribus donatoris insolvidum etiam ultra vires bonorum donatorum; Et de donatario hæreditatis.

SUMMARIUM.

- 1 Falsi series.
- 2 Donatarius universalis an teneatur conscribere inventarium, & non conscribendo, ad quid teneatur.
- 3 Teneatur ad debita, & dicitur stare loco hæreditis.
- 4 Cessionarius hæreditatis dicitur hæres directus, & immediatus.
- 5 Ideo teneatur conscribere inventarium.
- 6 De pænis resultantibus ex omissione inventarii.

Alexandro debitori, successit Franciscus Filius, qui nullo confecto inventario, patrem hæreditari se immituit, deinde ingrediens Religiosem, donationem universalem omnium bonorum, jurium, & actionum, præsentium, & futurorum fecit Alexandro agnato, qui acceptata donatione, pariter nullum confecit inventarium, pluraque bona distraxit, vel alias de eis tantum dominus disposuit; Atque stante hac facti serie consanguis sui, an creditoribus dicti Alexandri senioris jus competere ad bona propria alterius Alexandri donatarii, ultra vires hæreditarias dicti Alexandri eorum debitoris vel dicti Francisci donatoris, & hæreditis.

Pro donatario videbatur primo aspectu respondendum, ut scilicet non nisi ad bona donatoris, istius creditoribus jus competat, cum omnes DD. qui donatarii universalis obligationem ad solvendum debita donatoris firmant, illam restringant, quatenus bona donata suppetant, quamvis inventarium non confecerit, dum ad illius consecrationem de jure non est obligatus, cum verè non sit hæres, quoniam hæreditas non datur per contractum, licet ad dictum effectum loco hæredis habeatur, Carocc. dec. 125. Gancer lib. 3. var. cap. 7. de pati. n. 129. Anzat. var. resol. cap. 58. nu. 2. & admittitur apud Hodiern. contr. 15. n. 8. cum seq. & per Rotam in Persyna bonorum 30. Maii 1650. coram Cerro §. quod autem, dec. 31. n. 13. p. 11. rec.

Contrarius, his non obstantibus, dixi verius videri, ex duplici fundamento; Primò quia, admiffa etiam supra dicta conclusione, illa procedit ad effectum, ut donatarius universalis non teneatur præcisè ad consecrationem inventarii; Verum adhuc ad id tenetur cautative, ad effectum scilicet tollendi malam præsumptionem subtractionis, ac diffipationis bonorum transferentem in eundem donatarium onus probandi concludenter negativam existentiam aliorum bonorum, præsertim mobilium, ac jurium, & actionum in eum obventorum, ut satis bene firmat Rota in allegata dec. 31. p. 11. rec. n. 13. Et ideò donec per dictum Alexandrum donatarium, vel ejus hæredem probaretur concludenter negativa bene coarctata, quæ videbatur verifimiliter improbabilis, dicebam quod contra eum urgebat presumptio existentie aliorum bonorum, ac jurium, & actionum ab eo occultatorum, & consequenter, ut contra eum exerceri possent actiones etiam personales in persona, & bonis propriis, dum ex magis communi sententia, recepta etiam per Rotam, donatarius universalis dicitur stare loco hæredis, & ut per creditores donatoris directè conveniri possit, præsertim mortuo donatore, ac non existente alio ejus hærede ex plene congestis per Amat. d. resol. 58. n. 7. & 13. Giurb. obser. 104. n. 13. Roc. dec. 98. n. 5. post Merlin. de pignori. ubi aliæ decisiones referuntur, & habetur disc. seq.

Quod etiam ad sensum probari videtur ex ipsa æquitate, seu ratione naturali, quoniam alias lata via fraudibus aperti posset eludendo omnem legis dispositionem, ac mentem, dum donator ære alieno pressus, omnem ejus substantiam transferre posset in donatarium universalem, cui licentia concederetur, impunè, ac in fraudem creditorum dissipare bona præsertim mobilia, & nomina debitorum, quorum existentia per creditores de facili probari non posset; Ideòque ut bene advertit Rota in allegata dec. 31. p. 1. recent. n. 13. si contra talem donatarium non militat directè dispositio penalit, text. in l. final. Et si præstatam Cod. de jur. liber. attamen militare debet mala præsumptio occultationis, quæ ex eadem lege ob omnium inventarium refultat, & transferens in eundem donatarium onus probandi contrarium, cum ista sit præsumptionis operatio, transferendū onus contrariæ probationis, in eum, contra quem præsumptio urget.

Secundò quia dum Franciscus profectus est donare, non solum bona, sed etiam quæcumque jura, & actiones, dicitur ita donasse paternam hæreditatem sibi delatam, undè resulata observabam, quod dictus Alexander junior diceretur cessionarius hæreditatis Alexandri senioris, & consequenter, quod esset habendus tanquam hæres directus, ac immediatus in universo jure activo, & passivo, cum ista sit virtus venditionis, vel cessionis hæreditatis, ut faciat subintrare emptorem, seu cessionarium in universum jus activum, & passivum, perinde, ac si ipse esset hæres ab initio, juxta text. in l. 2. §. si quid publici ff. de hæred. vel act. vend. in terminis Monticul. de Inventar. cap. 9. n. 161. in fine, ubi de emptore hæreditatis, cum aliis sub tit. de empt. & vendit. disc. 26. Et magis in terminis donatarii, seu cessionarii gratuiti Monticul.

cul. nu. 163. eumque refert. & sequitur Giurb. d. observ. 104. num. 20. in princ. Unde quemadmodum cedenti non suffragaretur beneficium inventarii, ita dicebam non posse suffragari cessionario, qui in universum ejus jus succedit, dum hic fingitur hæres ab initio ut supra.

Ideoque Aliud est agere de debitis propriis donatoris, Aliud vero de debitis alterius hereditatis comprehensæ in dicta donatione; Ad primum enim effectum, procedere posset conclusio supra deducta in obiectum, secus autem ad secundum, dum ita dicitur donatarius hereditatis, unde propterea bene intrat limitatio dictæ conclusionis, atque donatarius tenetur ad confessionem inventarii, ut ex Gravett. & Carocc. ac aliis, Capcer. d. par. 3. cap. 7. n. 129.

Ideque convincitur ex clara ratione, (quæ dicitur anima legis, ac super omnia, pro meo iudicio, semper attendenda venit;) Ideo enim donatarius non tenetur ad confessionem inventarii, neque tenetur ad iura passiva ultra valorem bonorum donatorum, quia successio universalis per contractum dari non potest, ut ex Fabr. & aliis, quos allegat Amat. d. resol. 58. n. 2. ubi n. 3. observat hinc resultare illationem, quod non tenetur ad confessionem inventarii; Hæc autem ratio militans in bonis, ac hereditate donatoris viventis, non militat in hereditate jam delata, quam non dubitatur in contractum deduci posse, ut toto tit. ff. de hered. vel ad. vendit. igitur nil urgere videtur, quod excuset hujusmodi hereditatis cessonarium ab omnibus oneribus hereditariis, dum ipse fingitur ab initio hæres, ut supra.

Observando potissimum, quod de jure antiquo Digestorum, vel novo Codicis, & Auenthorum, cognitum non erat beneficium inventarii, sed solum alterum anni ad deliberandum, quo elapso, non curatur, an vires hereditariæ suppetant, necne, sed indefinite hæres, vel hereditatis possessor ad omnia onera tenebatur; Ideoque quando inventarium omittitur, nulla incipitur dicitur nova pœna, sed solum per subtractionem, seu cessationem hujus novi beneficii introducti per jus novissimum Justiniani in l. fin. C. de jur. delib. res remanet in terminis juris antiqui, vel mediis, perinde ac si dictum jus novissimum non adesset, ut pluries sub tit. de cred. & sub altero de hered. ac alio de legit. & detraction. Ideoque ex uno, vel altero fundamentò, & fortius ex utroque, fundatam videri dixi intentionem creditorum.

SUMMARIUM.

- 1 An donatarius omnium bonorum tenetur ad confessionem inventarii.
- 2 De penis resulantibus ex omissione inventarii.
- 3 Quando Donatarius tenetur ultra donationis emolumentum.
- 4 De duplici hærede.

ANNOT. AD DISC. XXX. & seqq.

DE quaestione principali in his discursibus peracta, an & quando donatarius omnium bonorum tenetur ad debita, & confessionem inventarii non videtur alibi peractum; Conferunt tamen ad effectum contributi pro solvendis debitis deducta sub tit. de Legat. disc. 52. Et de penis resulantibus ab omissione inventarii habetur in pluribus locis, & signanter sub tit. de credit. disc. 36. & latius sub tit. de Hærede disc. 17. & seqq. & sub tit. de legit. & detract. disc. 25.

Quando autem Donatarius tenetur ultra donationis emolumentum, seu valorem, videri poterunt deducta in novissima Romana seu Albanen. Vincæ in hoc Supplemento ad donat. disc. 61.

De duplici hærede, duplicique patrimonio habetur plenè actum sub tit. de hered. disc. 3. per tot. ubi alia loca concordantia adducuntur.

ROMANA CENSUS.

PRO AULO CRESCENTIO. CUM CREDITORIBUS MARCHIONIS MONTORII.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura resolutus pro Creditoribus, postea concordatus.

De eadem materia donatarii universalis, quando dicatur talis, necne, ut stare dicatur loco hæredis, & tenetur ad debita etiam in actione personali, & executiva.

SUMMARIUM.

- 1 Adli series.
- 2 De requisitis, ut donatarius directè conveniatur pro debitis donatoris.
- 3 De quaestione an quis habere possit duo patrimonia; & duos heredes.
- 4 Funda in Regno Neapolitano habent admixtam qualitatem hereditariam etiam ultimi.
- 5 Quod provincie, seu regiones de quibus donatio loquitur sicut demonstrativè, non autem restrictivè.
- 6 Datur donatio universalis in certa bonorum universitate, licet non sit de toto patrimonio.
- 7 Feudum quando sit universitas, vel consideretur tanquam res particularis.
- 8 Non dicitur esse extrà patrimonium id quod per creditores jure pignoris præsertim possidetur.
- 9 De duplici hærede, & duplici patrimonio feudatarii.
- 10 Non est faciendæ exculsio bonorum extrà provinciam, seu Principatum.
- 11 Donatarius universalis tenetur ad onera, & debita donatoris.
- 12 De differentia inter donatarium universalem, & particularem.
- 13 Quòd contra donatarium tanquam tertium non detur actio personalis executiva, & quando secus.
- 14 Non autem in persona, & bonis propriis.
- 15 Hæres convenitur executivè, etiam in bonis propriis, si non est beneficiarius.
- 16 Quòd donatarius, non regulatur jure hæredis.
- 17 Non tenetur donatarius ad confessionem inventarii.
- 18 Sed quòd in donatio universalis operetur omisio inventarii.
- 19 De differentia inter actorem, & reum, & heredem agentem, vel excipientem.

DISC. XLV.

FACTA per Marchionem Montorii, Paulo ex fratre nepoti utriusque Signaturæ Prælato, donatione omnium, & quorumcumque bonorum, juri; & actionum allodialium, tam in Urbe, & Statu Ecclesiastico, quam in Regno Neapolitano, ac ubique existentium, feudalius tantum non comprehentis, quæ in dicto Regno possidebat; Cum sequuta ejus morte, uxor pro dote, ac jurius dotalibus tenentat feudi Montorii cum annexis obtinisset in illis Tribunalibus, hinc reliqui creditores, præsertim illi Urbis, & Status Ecclesiastici, iudicium executivum coram A. C. instituerant contra donatarium, contra quem simpliciter mandata obtinuerunt, eoque recurrente ad Signaturam, (in qua solum pro eo scripti), incertum est, an rescriptum fuerit, cum clausula, sine præjudicio, vel quod dilata resolutione, agnitio tamen sensu ita rescribendi, idem donatarius cum dictis creditoribus se concordaverit, dum causa, quod sciam, ulteriorem progressum non habuit.

In hac autem disputatione, nulla erat quaestio in meritis circa substantiam æris alieni, quod non controvertatur, sed tota fuit ordinis, an scilicet contra ipsum donatarium actio personalis executiva directè exercibilis esset, cum privilegio processus executivi non admittentis exceptiones, altioris indaginis à donatario deductas, super detractionibus in bonis donatoris ex persona propria sibi competentibus, cum quibus supponebatur plures ex creditoribus excludi posse tanquam posteriores.

Hinc proinde duo erant puncti; Primo scilicet, an iste esset donatarius universalis, ideòque obligatus ad debita donatoris utpotè succedens loco hæredis; Et secundo, an ob non confectum inventarium, dicta actio personalis, & executiva contra ejus personam, ac bonorum directè exerceri posset.

Quatenus pertinet ad primum; Quamvis verba donationis essent universalis de omnibus bonis mobilibus, & stabilibus, juri; & actionibus; Attamen dicebam, scribens more Advocati, ut non exinde dici posset donatio universalis, ad effectum, de quo erat quaestio, ut scilicet loco hæredis habendus veniret, atque ad debita donatoris conveniri posset, eo modo, quo potest hæres, quoniam ad hunc effectum, duo copulativè requiruntur. Primo quod donatio continet ipsam patrimonii universitatem, adeòque donatarius succedat in donatoris universo jure activo, & passivo Et secundo de consequenti, quod alium, actu, vel habitu heredem non habeat, Guid. Pap. & Adde. dec. 505. & 460. cum alii plenè collectis per Amat. var. resolut. cap. 58. nu. 13. Rota

Rota dec. 228. num. 5. & seqq. par. 7. rec. dec. 42. num. final. par. 11.

Hujusmodi autem requisita non justificari dicebam dupliciter; Primo quia donatio quamvis concepta per verba universalis, restricta erat ad bona, & jura existentia in Urbe, & in Statu Ecclesiastico, ac ad allodialia tantum in Regno Neapolitano, unde propterea dupliciter cessabat universalitas, Primo sub donatione comprehensa non erant bona & jura extra dictas provincias, vel ditones existentia, in quibus hæredem habere poterat; Quicquid enim sit ad alios effectus potioritatis, vel concursus creditorum unius, vel alterius patrimonii, sive super modo succedendi, quoties diversa vigeant statuta, vel consuetudines, ex iis, quæ aliis relatis planè habentur deducta apud Salgad. in labyr. par. 2. cap. 12. & per Rota apud Rojas dec. 157. & 268. repet. dec. 66. dec. 363. par. 9. & dec. 228. par. 8. & pluries in sua materia sub tit. de credito, occasione agendi de articulo, ac creditores unius Principatus, vel Provincie, in bonis ibi existentibus, potioritatem ad versus alios habere debeant, ac etiam sub tit. de successione. Ita negari non potest, quod donator alium habere potest heredem, quoque non verificatur universalis successio in donatario.

Et secundo ob non comprehensionem bonorum feudaliu consistentium in Oppido Montorii cum annexis, quoniam ut pluries habetur in sua materia sub tit. de feudis, ita feuda, quamvis jure sanguinis deferantur, admixtam tamen habent qualitatem hereditariam, tam primi acquirentis, quam etiam ultimi morientis, adeòque feudi successor teneatur etiam ad debita, quamvis sine assensu, contribuendo pro rata cum bonis allodialibus, ex ibi pluries deductis, & consequenter in istis hæredem donator habeat, ergo donatarius dici non poterat successor in universus jus donatoris, neque hic alio carebat hærede, dum ita feudalem hæredem habeat.

Reflectendo autem ad veritatem, (liberè pro stylo insinuatam) hæc fundamenta periculosa videbantur; Quo enim ad primum, bene respondebant scribentes pro creditoribus, quod inspecto tenore, vel contextu donationis, dictæ provincie, seu ditones Status Ecclesiastici, ac Regni Neapolitani, verè non flarent taxativè, vel restrictivè, sed demonstrativè, ex eo quod non alibi bona haberentur, atque earens ad dictam discretivam eventum erat, quatenus ita suaderet exceptivum feudaliu in eo Regno existentium, ita attendendo substantiam veritatis potius quam verba.

Et ulterius, quidquid sit ad alios effectus de conclusione, an unus, & idem, in quo una tantum persona, tam materialiter, quam formaliter consideretur, habere possit, necne duo patrimonia, duoque hæredes universales in solidum,

Attamen ad hic effectum, ut donatarius alicujus particularis universalitatis, generaliter teneatur, etiam admittat hæredis, & per quamdam assimilationem, ad onera in ea universitate existentia, id implicare non videtur juxta ea quæ habentur firmata per Rotam in Romana de Censibus coram Orano apud Gratian. disc. 256. nu. 6. & seqq. circa donationem rationis bancariæ, quoniam licet donatio non dicatur universalis in ordine ad reliquum patrimonium, dicitur tamen talis discretivè in universo eo jure activo, & passivo, in quo donatarius tanquam pro speciem hæredis ipsum donatorem representare dicitur, quoniam Aliud est considerare universalitatem de per se, & in suo genere; Aliud verò comparativè ad aliam universalitatem majorem. Licet enim istius respectu, altera universalitas consideretur potius tanquam res particularis non tamen exinde tollitur, quin ipsa in se sit universalis, ex iis, quæ cæteris relatis habentur deducta apud Capyc. Latr. consult. 9. & 10. & d. tit. de feudis, quod scilicet feudatario possidente plura feuda, universalitas patrimonii feudalis ex omnibus constitui dicitur, adeò ut unum feudum comparativè habeatur pro re particulari, & tamen ut quolibet feudum de per se sit universalitas, ideòque non implicat dari donationem universalem juri; activorum, & passivorum unius patrimonii, vel negotii, juxta dictum casum rationis bancariæ.

Et ad alterum motivum exceptionis feudaliu; Quamvis scribentes pro creditoribus, ac etiam iudex in eo solum insisterent, quod bona feudalia obortpa jam fuerant per donatoris uxorem, idque etiam in Signatura magnam faceret impressionem; Attamen legaliter magna erat simplicitas, quoniam non ex eo quod creditor immiti obineat ad aliqua bona debitoris ex alioqu indirecto, vel remedio possessorio, exinde resultat, quod bona sint extra hereditatem, vel patrimonium, quodque in eis non habeatur hæres.

Solidior autem responsio ad quam tamen scribentes non

cogitabant, erat altera, quod, ut patet ex deductis locis citatis sub tit. de feudis, ad instar eorum, quæ in jure communi habemus à duplici patrimonio, ac duplici hærede, militari, & paganico, quorum quilibet dicitur universalis in solidum, ita feudatarius dicitur duplex homo, duplex habens patrimonium, feudale scilicet, quod idem est ac militare, & allodiale, seu burgen satium, quod idem est ac paganicum, data solum inter hujusmodi patrimonium, vel heredes contributione per es, & libram ad debita defuncti, qui fuit utriusque patrimonii possessor, per specie etiam illius contributionis, de qua habetur eodem tit. de feudis disc. 89. cum ibi deductis; sed tanquam per speciem cujusdam societatis, seu communione hujusmodi patrimoniorum, ideòque donatarius patrimonii allodialis, in eo dicitur universalis, neque ex eo, quod feudatarius habet alium heredem in patrimonio feudali, dicitur eum habere in allodiali.

Fortius verò, quia omnium ferè provinciarum, seu principatum praxis dedit, ut creditores unius provincie, seu principatus non teneantur excutere bona in alio existentia, sed ibi existentium exculsio sufficit tam ad effectum agendi contra fidejussores, quam etiam ad alterum exercendi actiones subsidiarias, ut habetur præsertim deductum in proposito subsidiarii beneficii competentis ex dispositione textus in auth. res quæ C. commun. de legat. sub tit. de dote disc. 145.

Quo verò ad alterum supra distinctum punctum, seu principalem inspectionem, an scilicet postea qualitate donatarii universalis, ac præsupposita etiam certa juris conclusione, de qua disc. præced. & seq. & passim, ut hic donatarius teneatur ad omnia debitoris onera, & debita, præsertim ante donationem contracta (cum difficultas consistat in iis, quæ postea contraherentur, ut disc. seq.) quaestio erat, an conveniri solum posset in ipsis bonis donatis, vel etiam directè in persona, & bonis propriis.

In hoc autem, de stricta juris censura, veriorum esse dicebam negativam, ut scilicet in persona, & bonis propriis conveniri non posset, sed solum in bonis, ac juribus, donatis; Ea differentia militante inter donatarium universalem, & particularem, quod ad versus istum, creditoribus hypothecariis competunt interdictiones, aliaque remedia realia, vel rei persecutoria, qui in vim hypothecæ competunt contra quemcumque tertium possessorem bonorum hypothecatarum, chirographariis autem non competit nisi subsidiarium remedium rescissorium ex dicto, de tir. quæ in fraudem creditor. &c. Contra verò universalem exercibilis est directè processus executivus ad bona donata, eo modo, quo contra heredem quamvis beneficiatum ad bona hereditaria.

Licet enim in puncto juris indefinitè donatarius consideretur tanquam tertius, contra quem regula est exercibilis non esse actionem personalem directam, ac executivam, sed solum realem, vel rei persecutoriam, aut dictum subsidiarium, remedium revocatorie juxta gl. in l. aris alenti C. de donat. ubi Bald. & alii, de quibus apud Guidopap. dec. 105. in princ. & plenè Amat. d. resol. 58. n. 8. Rot. dec. 245. n. 5. & seqq. p. 11. rec. & in aliis; Attamen ubi agitur de donatario universalis, in quo non urgeat ratio discretivè alia bona, quæ militat in particulari, ad evitandum inanes circuitus, recepta videtur illa æquitas, quam originaliter habemus præcepta tam per Senatum Gratianopolitani apud Guidopap. d. disc. 105. ut actio personalis executiva, in ipso tamen patrimonio donato, ejusque bonis ac juribus, detur contra donatarium universalem, eo modo, quo contra heredem beneficiatum in bonis hereditariis; Secus autem in persona, & bonis propriis, cum id nullum juris habeat fundamentum, aliaque actio ad bona propria competere non videatur, nisi pro refectione ejus, quod in bonis donatis donatarius consumpsisset, ut disc. præc. non tamen in processu executivo.

Quamvis enim attentio jure Digestorum, & Codicis, priusquam à jure novissimo Justiniani prodiret beneficium inventarii, quod omnimodam separationem induxit inter hereditatem, ac personam, & bona propria hæredis competere contra istum eadem actio personalis, ac executiva, quæ contra defunctum, quod etiam hodie præficatur, quando jam certitudinaliter constat illum non esse beneficiatum, quia inventarium non confecerit, ut dec. 39. par. 9. rec. dec. 252. & 269. post Zach. de oblig. & pluries sub tit. de credito; & sub altero de hered. ac altero de iudicis.

Non tamen idem procedit in donatario universalis, cum hic habeatur quidem loco hæredis, sed improprie, & per quamdam assimilationem, non tamen identificatur cum persona defuncti, eo modo, quo (cluso beneficio inventarii)

tarii identificatur hæres, Distinctio autem inter conscientem, vel non conscientem inventarium, non intrat in donatario, quem in jure cautum non est ad id teneri, ut advertitur *disc. præc.*

Et quamvis ex ibidem deducis, ex inventarii omissione facta per donatarium universalem, resolvetur quædam mala præsumptio, tamen hæc operativa quidem erit ad repellendum donatarium excludere volentem creditores ex iuribus, ac detractionibus ex persona propria sibi competentibus, ob præsumptionem existentiam, ac præficientiam bonorum (qualis erat proprie casus præsentis controversiæ, non autem, ut agendo possent creditores directè prosequi actionem personalem contra personam, & bona propria, quoniam, aliud est illum repellere, ne excipiat de iuribus propriis, aliud verò, ne in persona, & bonis propriis molestetur. Ut habemus in hæredè beneficiati, quod si excipiendo de iuribus, & creditis propriis, velit repellere creditores, seu alias impugnare factum sui auctoris, tunc tenetur, reddendo rationes de bonis inventariatis, docere de non existentia bonorum, & regula, quod in dubio hæreditas præsumitur opulenta, sed non exinde conveniri potest in persona, & bonis propriis, nisi præcedat praxis posita per *Salust. Tiber.* quod dicitur ad docendum de legitimo inventario, ac reddendo rationes, ut in didis suis respectivè materiis, & est praxis quotidiana; Et quamvis scribentes pro creditoribus tanquam punctualem deducere *dec. 231. Carilli* super processu executivo contra donatarium, quæ magnum faciebatur rumore, nil tamen ad rem concluditur, cum mandatum executivum fundatum esset in re iudicata contra eundem donatarium contumacem, & sic ex diversis particulari facti circumstantia.

TERRACINEN. PECUNIARIA. PRO PRINCIPE BURGHESEO CUM BALLADORIS.

Causa disputata coram A. C. & resoluta pro Burgheseo.

De eadem materia donatarii universalis obligati ad debita donatoris, an teneatur ad ea debita, quæ donator contraxit post donationem.

SUMMARIUM.

- 1 Adhæres.
2 Donator sicut non potest revocare donationem, ita non potest alienare, vel obligare bona donata.
3 De questione an creditor anterior ex causa lucrativa præferatur posteriori ex causa onerosa.
4 Declaratur conclusio, de qua nu. 2. ut procedat in donatione particulari.
5 Quid autem dicendum sit in donatione universali.
6 De eodem, & nu. 7.
7 Fortius donatarius universalis tenetur ad debita si vult bona post donationem quaerere.
8 Donator dicitur administrator patrimonii donati.
9 Fideiussor quandoque inspecta veritate est potius debitor principalis.

DISC. XLVI.

Potquam Angelus Ballardorus, donationem universalem, cum onere fideicommissi de omnibus eius bonis, & iuribus præsentibus, & futuris fecit ad favorem ejus fratrum, eorumque descendendum, negotiationem continuando, dum apparatus Impressiois cameralis tenebat, ac etiam assiduum Oppidi Norwæ; curavit per ejus juvenes sui ministros, sicuti quoque a ministris Principis Burghefii assiduum Castri, seu Oppidi Olevani, pro eis sudejebendo cum obligatione æque principale, & insolidum; Cumque pro pensionibus decursis, relaxato contra eum mandato executivo obtento ab A. C. facta esset executio super quodam censu per dictum Angelum post donationem quaesito, Hinc se opposuerunt donatarii cum ea aded frequenti cautela, quæ in Curia Angeli nuncupatur, apponi solita per eos, qui de præteritum tertios possessores, ex eo quod census utpote comprehensus in donatione universalis omnium bonorum præsentium, & futurorum, ad ipsos uti donatarios pertineret.

Et quamvis scribentes pro eis, non impugnarent certam conclusionem in præcedentibus insinuatam, de obligatione donatarii universalis ad onera, & debita donatoris tanquam per speciem hæredis; Dicebant tamen, id rectè pro-

cedere in ordine ad exercitium actionis personalis, ac directæ abque necessitate adhibendi circuitum actionis revocatoriæ juxta receptam praxim *disc. præc.* insinuatam, quoad debita, & onera de tempore donationis jam contracta, secus autem quoad ea, quæ postmodum contracta essent, quoniam quod directè prohibuit non est indirectè concedendum, ne alias diceretur lex imposita potius verbis, quam rebus; Quemadmodum enim donator perfectam donationem inter vivos revocare, vel minuire non potest, ita neque alienare, vel obligare bona donata, ubi præsertim agatur de ipsis bonis sub donatione cadentibus, cum sola quaestio sit, quoties agatur de donatione quantitatis, an scilicet donatarius tanquam creditor ex causa lucrativa possidendus veniat, quod etiam casu ubi ratio fraudis non urgeat, magis recepta hodie videtur opinio ipsi donatario favorabilis, ut firmatur *dec. 262. par. 11. rec. cum ibi deducis*, & in sua materia *sub tit. de credito*, sed quoties agitur de donatario bonorum, nulla desuper cadit difficultas.

Scribens ego pro Burghefio, dicebam præmissa esse vera in casibus suis, fallaciam verò consistere in applicatione ad casum, de quo agebatur, ideoque ad æquivoca tollenda, advertentem distinguendum esse quod; Aut agitur de donatione particulari aliquorum bonorum, quæ ad speciem deducta sunt, & tunc planum est donatorem non posse alienare, nec hypotecare, vel alias jure donatario perfectè quaestum restringere, vel minuire, nisi aliqua concurrat justa causa, ob quam etiam ad donatarii majorem utilitatem, id admittendum veniat juxta casum, de quo *sub tit. de fideicom. disc. 139.* cum firma remanente donatione, (quæ nempe non intrat resolutio, vel facultas revocandi, aliud donatori non concedatur nisi dumtaxat donationem declarare, vel interpretari, dummodo declaratio bona fide inita sit, ac verisimilitudinem contineat, non autem fraudem, vel affectationem, ut pluries in præcedentibus.

Aut verò agitur de donatione universalis omnium bonorum, tam præsentium, quam futurorum, quæ tamen valida præsupponenda sit, juxta eos casus, in quibus illa in jure valida reputatur. Et tunc quaestio videtur potius facta quam juris ex facti qualitate pro judicis prudenti arbitrio decidenda, an scilicet alienatio, vel obligatio, seu alter præjudicialis actus, proveniat mala fide, sive abque probabili causa, & tunc idem dicendum veniat, ut in facti contingentia pluries ego substitui jura donatarii adversus legata, seu voluntarias confessiones debiti factas per donatorem, sive ubi de voluntario, ad imprudenti debito fideiussorio ageretur, cum similibus, cum eadem quoque militet ratio defectus potestatis non faciendi indirectè, id quod directè, prohibitum est.

Ubi verò, (ut in præsentibus) ageretur de industria donatore facta donatione universalis, pro conservandis bonis in ejus sanguine, vel familia, bona fide incumbat negotiationibus, ac industriis more diligentis patrisfamilias, ut majores faciat acquisitiones ad favorem donatarii, ita patrimonium melius impinguando. Et tunc, quia ad hunc effectum oportet habere commercii libertatem, atque juxta negotiorum opportunitatem debita contrahere, ac aliquas etiam alienationes facere, hinc proinde si casus negotiationi connaturalis præbet acturam potius, quam lucrum, unde propterea bona donata diminutionem patiuntur, rectè intrat propositio, de qua per Rotam *decis 98. numer. 5. post Merlin. de pignori. & in Urbevetana restitutionis dotis 22. Maij 1645. coram Peusingero*, quod donatarius tanquam succedens loco hæredis, ad omnia debita, & onera donatoris tenetur; Ex ea nimium probabili, & convincenti ratione, quæ à scripto, & non scripto jure derivat, quod sicuti in casu lucri, & acquisitionis, donatarius commodum reporta fiet, ita incommodo subjacere debet, juxta regulam *secundum naturam*, de qua in proposito lucri, vel acturæ in bonis fideicommissi ex negotiatione hæredis gravati habetur *sub tit. de fideicom. disc. 191.* Et in histerminis specialibus per plura fundamenta bene advertit Fontanell. *de pact. claus. 11. glof. unica n. 16. ad 39.* ubi late materiam expendit, & idem Fontanell. *dec. 209.* atque in hoc sensu, & cum hac distinctione intelligenda veniunt proxime allegatae decisiones Rotæ, cum alias eas ita simpliciter attendere periculosum sit.

Clarius verò ac extra dubium in hac facti specie, quoniam non agebatur de bonis extantibus de tempore donationis, sed de censu post illam quaesito, unde propterea iniquitas est, quod donatarius approbare vellet factum donatoris post donationem in iis, quæ solum commodum concernunt,

cernant, atque obtinere futuras acquisitiones, illud verò improbare in damosis contra dictam regulam *secundum naturam*; Ac etiam quia esset species locupletationis de alieno, nimiumque lata via aperiret fraudibus, & collusionibus, quod scilicet negotiatoribus hujusmodi donationes finis, vel fratribus facere possent, deindeque negotiationibus aleam continuare sub sola certitudine lucri abque timore damni, quoniam si fierent lucrosæ acquisitiones, essent propriæ, & caderent sub donatione, si verò contingeret jactura, esset creditorum, quod scripti, ac naturalis juris principii, ac rationi repugnat.

Ideoque dicendum est, quod facta hujusmodi donatione de præsentibus, & futuris, implicita adesse dicatur reservatio administrationis patrimonii donati ipsi donatori, & consequenter, quod ipsum patrimonium donatum, commodo lucri, ac incommodi damni, seu jacturæ pariformiter subjacere debeat, juxta eosdem terminos negotiationis factæ per hæredem gravatum ex deducis *d. disc. 191. de fideicommissis*.

Non negabant scribentes in contrarium veritatem dictæ theoreticæ in abstracto, cum revera ex scripto, & non scripto jure incontrovertibilis videatur; Dicebant tamen è converso, fallaciam quoque esse in applicatione, ex eo quod ageretur de debito alieno, pro quibus ipse donator fidejusserat; Verum nimis plana erat solutio ex solo facto, in quo bene constabat ipsum donatorem plures alias præambulas habere negotiationes, ac alterius seu afficitus, præsertim impressionis cameralis, ac altius Oppidi, vel Castri cum eodem locatore, ita honestatis, ac melioris negotiationis causam iniisse contractum sub nomine fori, qui sui negotii juvenes, ac etiam conjuncti erant, sub ejus tamen auctoritate, ut frequens est negotiorum usus, ideoque in effectu proprium negotium erat, attendendo magis veritatem, quam formalitatem verborum, ex regula, *plus valere quod agitur* etc. ut sapè in sua materia *sub tit. de credito*, ideoque cum iustitiam fundamentum executionis ulterioris progressus demandatus fuit nisi solutio debiti sequuta sit.

ROMANA DONATIONIS PRO MAURITIO DE ASTE CUM FRATRIBUS DE SOJERS.

Causa disputata coram A. C. postea concordata.

Donatio facta patri, & filiis, an censetur ordine simultaneo, vel successivo; & an patre retrodonante, jus competat filiis ipso vivente adversus donatorem.

SUMMARIUM.

- 1 Adhæres.
2 De distinctione inter donationem factam ab ascendente, vel extraneo patri, & filiis, an ordine simultaneo, vel successivo.
3 Intelligitur in dubio, secus ubi constat de diversa voluntate etiam præsumptiva.
4 Expendantur conjecturæ, ex quibus censetur ordine successivo etiam si ab extraneo.
5 An distinctio, de qua nu. 2. procedat solum in ultimis voluntariis, vel etiam in contractibus.
6 Recensetur causa exitus.

DISC. XLVII.

Mauritius de Aste, paulò post completam minorem ætatem annorum 20. ad quam ex Statuto Urbis illa restricta est, per mortem patris sui juris effectus, juxta consuetas adolescentiæ imprudentias, Guilielmo Sojers Germanici inferioris Viro qualificatæ nobilitatis, qui ob Catholicam fidem, bonis patrimonialibus spoliatus, Urbe cum numerosa familia non multum affluenter vivebat, donationem fecit pro se, ejusque filiis, & descendentibus in infinitum scit. 10. m. solvendorum post ipsius donatoris mortem, Interim verò ejus vita durante annuorum scutorum 300. Verum paulò post penitens, donationem prædictam revocavit, habitaque de hoc noticia, Guilielmus prædictus ejus ingentem nobilitati respondendo, inexplicabili quidem morum, ac vitæ ingenuitate præditus, dictæ revocationi adhaesit, culicumque juri ex donatione quaesito retrocedendo, ejus autem filii jam majores, patre adhuc

Card. de Luca Lib. VII.

vivente, ac invito, ex persona propria pro dictæ annue præstationis assequutione, judicium instituerunt contra donatorem coram A. C. Assumptaque desuper disputatione, illa restringebatur ad punctum, an filii prædicti vocati essent ordine simultaneo, vel successivo, quoniam posito quod vocati essent ordine successivo, casus eorum vocationis adhuc non advenerat, ideoque nullam actionem contra donatorem exercere poterant.

Super hoc igitur assumpta disputatione; Scribentes pro actoribus, totam vim constituebant in magis communiter recepta distinctione, quod Aut agitur de dispositione ascendentis cum descendentibus cum quibus urget, ultra charitatem, necessitas, & censetur ordine successivo, Aut de dispositione transversalis, vel extraneæ, in quo sola ratio charitatis militet, & secus *Jas. in l. gællus §. quidam ratio n. 24. & seq. ff. de lib. & postb. ibidem cæteri plene congesti per Mantice. de conjectur. lib. 4. tit. 9. n. 17. cum seq. Rot. decis. 574. n. 2. & seq. p. 4. recent. & dec. 424. num. 14. & seq. p. 4. recent. rejecta contraria sententia Bart. ibidem volentis, ut etiam isto secundo casu vocatio ordine successivo censenda sit.*

Pro donatore reo convento scribens, non impugnabam distinctionem, utpote magis communiter in foro receptam præsertim in Rota, & Curia; Dicebant tamen, eam procedere in dubio, secus autem ubi ex adminiculis, vel conjecturis constat de diversa voluntate, quæ semper attendenda est. *Cas. de Grass. dec. 2. sub n. 3. de resam. Bellon. de jur. accresc. cap. 5. quest. 26. num. 227. admittitur d. decis. 574. p. 4. rec. n. 6. & seq. d. dec. 424. p. 9. n. 14. & seq. ad quem effectum plures ponderabam conjecturas.*

Primo quia in eodem instrumento expressè dicitur, ut decedente Guilielmo succedant filii, quam dicebam non esse conjecturam, sed probationem claram; Et licet responderetur ista verba contineri in donatione foris principalis (cut. 10. m. Replicabam tamen, quod cum agatur de una eademque dispositione, hinc proinde una pars declarat alteram, præsertim quia non erat circa diversa, cum annua præstatio per donatorem viventem promissa videtur loco fructuum, quos dicta foris principalis produceret, nisi solutio ad mortem dilata esset.

Secundò quia dicebatur dictam annuam præstationem scit. 300. donari, ut dictus Guilielmus honorificatus, se suamque familiam sustentare possent, igitur principaliter dispositio directa erat ad personam patris, qui integrum redditum habere deberet, non autem ut sequeretur inconveniens verisimili voluntati donatoris, & acquirentis contrarium, ut idem redditus in pluries portiones divideretur, quot erant plures filii.

Tertiò quia tenor donationis, aliæque circumstantiæ ostendebant, quod totum gestum erat contemplatione ipsius patris, qui dictæ donationis causa fuerat, Mantice loco citato n. 23. *Peregr. de fideic. art. 17. n. 28.*

Quartò omnium clarior, (& quod relictendo ad veritatem, istam talem esse ostendebat,) quod non solum vocati erant filii, sed nepotes, pronepotes, & descendentes in infinitum, cum tunc impossibile sit dare vocationem simultaneam, Mantice ubi supra n. 26. *Fusar. q. 266. num. 46. plenè Surd. decis. 346. num. 14. & seq. decis. 127. nu. fin. p. 6. rec. decis. 97. nu. 10. & seq. p. 4.* Licet enim hæc ultima decisio revocata sit per dictam posteriorem *decis. 574. eadem p. 4.* at tamen difficultas cadit quodam filii primi gradus solum vocati sunt, quasi quod intelligatur de jam natis, & cognitis tantum, admittendo contrarium, ubi donatarius sentisset de nascituris, & fortius ubi de gradibus ulterioribus.

Alii pro hac eadem parte scribentes, satis insitebant in eo, quod distinctio prædicta, quæ hodie pro regula constituitur, procedat in ultimis voluntariis, secus autem in contractibus, in quibus abque distinctione filii semper censentur vocati ordine successivo ex Bart. *in d. §. quidam ratio n. 4. & 8. Peregr. d. art. 17. n. 24. Put. dec. 4. de locat.*

Verum ego, reflectendo ad veritatem, dubitabam de congrua applicatione ad casum, Id enim rectè procedere videtur in contractibus correspondivis, in quibus, totum id quod filii, & ultiores descendentes obtinent, habere dicuntur ex providentia, vel stipulatione patris, secus autem in mere gratuita dispositione, in qua sola concedentis voluntas spectatur, cum tunc nulla differentia considerabilis videatur inter actus inter vivos, vel per ultimam voluntatem; Ideoque veritas consistere videtur in theoretica feudistiarum, super quaestione, an feudum concessum patri, & filiis, censetur concessum simultaneum, vel successivè,